OLAI
A.
SIL.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 9

Liber
Novo-Tacin.-
937/II

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubicitate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonnemini Wittebergae emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

QUADRIGATUS EXPENSUS.

Aul. 22

Sive

Consideratio quadrigæ quæstionum Theologicarum de Syncretismo Nonneminis VVittebergæ hoc anno emissæ.

In quâ

Quæstionum status justè conformatur, argumenta adducta examinantur, satisnè solida, & ad rem sint, vera firmantur, falsa confutantur, & Syncretismi negotio non opus esse ostenditur, dum ad Conciliandum in quibusdam diversitatibus religionum justè Logiceq; proficere datum fuerit.

Præmissa & alia Philosophica ac Theologica Authoris exerrata, in scriptis ejus subindè occurrentia.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,

Ph. & Theologo, Prof. emerito.

Setini, Typis Götzianis, impensis Authoris.

Anno Domini, M. DC. LVII.

SENATUI
POPULOQ; ELBINGENSI,
Civitatem repræſentanti,
Auguſtan. Confeſsionem ejusq; Apologiam profeſſo,
S. Et pacem à DEO pacis per Chriſtum.

QUietem veſtram, VIRI AMPLISSIMI, acerbo Scripto novus è Saxoniâ Sthenelus hoc anno laceſſere ſuſtinuit. Argumenta nec ea adducit, quæ negotio ſufficiant; Nec ea in quæſtionis ſtatu formando perpetuò fides, quæ requiratur. Perverſionum autem ac falſitatum ea congeries, ut ex compacto in illas compromiſiſſe videatur. Hoſtiliter ſimùl in me invectus eſt, etſi nullo argumento fidem rei conciliârit. Silere ad ſcriptum, & apertas falſimonias ſilendo velut agnoſcere, nec rei, nec tempori conveniens eſt. Mihi ſemel ad pacificandum haſtam locanti, abiicere eam, hoſtivè tradere, indecorum viſum. Paucis & in his, & aliis paroramata Authoris potiùs oſtendisſe, conveniens iudicatum. Ex oſtenſis videre habebit, non ſemper ſibi eam lucem fulgere, quam ſperet. Totum autem negotium veſtræ inprimis clientelæ commendare, meritò ſtatutum. Veſtrum ac Thorunii ſtatum maximè res concernit. Eum per ſeculum fermè quietè occupatum, novi turbones ſubruere molitionibus ſuis nituntur. Parum cogitantes, Melius eſſe quieta ſervare, quàm convellere. Facilius eſſe turbare, quàm componere. Aliquantò autem ſatius eſſe duco, favorabili, quàm inviſæ rei vacare. DEVS pacis cum Veſtro Statu ſit, ut quæ pacis ſunt, & in Spiritualibus, & civilibus omnes cogitare ac promovere in Chriſto ſtudeamus. Valete, AMPLISSIMI VIRI, & quod à Nobis officii eſt, in bonum, quod exempli aut documenti, in rem Veſtram uſumq; Civitatis ſalutarem accipitote. Gedani. 13. Calendas Auguſti. Anno 1657.

A. A. & D. D. V. V.

Deditisſimus

Henricus Nicolai.
Pr. em.

LECTORI CHRISTIANO & THEOLOGO
S. & Pacem Christi.

NUllum ſingularem hoſtem, LECTOR erudite, hactenùs legi, Cum quo luctarer. Solenne id ſectis noſtro ſeculo, & Polemica omnium, *Papiſtarum, Lutheranorum, Reformatorum, Photiniſtarum, & Fanaticorum* prolixam fidem conciliabunt. Fodicata illis magis ingenia, quàm erudita. Mihi naturâ & aſſuetudine averſum tale ſcribendi genus fuit. Obſtinatum ad variorum calumnias & perverſiones, quib. ſcripta mea arroſa, per annos 27. quos in *Pruſſide* exegi, ſilentium docere queat. Durare etiam in propoſito animus fuit, totumq; id genus aut ſpernere, aut ſuperare. Facere tamen contrà vltima quandoq; *neceſſitas, caſus, ipſa veritatis tuendæ ratio*, pro quâ ad mortem certare *Siracides* jubet C.4.v.33. Et inſulſorum importunitas jubet: & contrà aggredi, ac nominatim occurſare cogimur. Pacem tantiſper habere licet, dum vicino viſum, Germanus adagio celebrare ſolet. Nec ad omne genus calumniæ ſemper tacendum, Chriſto, Prophetis, Apoſtolis, præeuntibus edocemur. Deſeri DEI veritas videtur, aut malè ſanorum auſis prodi. In Cauſâ hæreſios Neminem patientem eſſe voluit *Hieronymus*. Innocentia ad tuendum Nobis à DEO data, non deſerendum. Calumniæ enim nihil nefas eſt, & quicquid lubet, audet. Ac de me ſanè modò experior. Pacem cum omnibus, quantum licuit, habere conſtitutum. Ad pacifica etiam religionum negotia,

qua-

quarum funestissima sunt dissidia, quantum per veritatem datum, promovere destinatum, eoq; scripta quædam collocata. *Prodesse omnibus, obesse nemini propositum fuit. Sed pacis jura ab alijs experiri non semper concessum.* Incursum in Scripta mea varijs dicterijs & perversionibus. Bona pars *in Iren. defenso & continuato* hinc inde exhibita. Nondum finem lassato tenere licet. Strenuum in eo negotio ab annis aliquot se *Calovius* exhibuit. Nomine olim mihi Collega, reipsâ hostis & persecutor Collegarum, quorum authoritatem subruere, suam statuere molitus est. Ante hæc modò *Apologiâ Germanicâ, modò prolegomenis Theologicis* Wittebergæ editis, de nomine in me invectus est. Id pacis gratiâ dissimulatum mihi & prætervectum. Nunc hoc ipso anno virulentus Stentor procurrit, & *quadrigam quæstionum de Syncretismo Nonneminis* vulgavit. Per alterius latus me fodicando, simili armorum genere, quo solet, pervertendo, non intelligendo, semiplenè aliena adducendo, Calumniando, in hostem fertur. Pro Calovio jure Calumnium diceres, ut Abrahami parum habeat, præter nomen. Pleraq;, quæ movet, jam ante in scriptis meis, *Irenico defenso, de Conciliando, Non liquendo, Medio religioso,* protrita. Quæ desiderantur, edi debent, cum ad id occasio. Quæ his terris in procurando non ita prompta, ac Germaniæ. Multa deserere aut protelare cogimur, quæ ibi facili negotio vulgare datur. *Non datis medijs negant dari mediata, & quæ inde sequi debent.* Hic tamen ad resolutionem quadrigæ istius manũ admoveri fas censui, ut quid momenti ferat, in aprico statuatur. Præmisi alia, in quibus aut ipse *Author* flaccescit, aut Argivâ Calumniâ in mea & aliorum invehitur. Lege, LECTOR, pensa, judica, & necessitatem defensionis non iniquè accipito. Supersedere his laboribus mallem, quàm defungi. Utilioribus me occupare possem. Non tamen in æternum falsis obtentibus Orbi mea traduci ferre teneor. DEUS veritatis tecum sit, ut ad veritatem & pacem universa turbulentis his temporibus constituas. Gedani. 14. Calend. Augusti. Anno 1657.

QVA-

QVADRIGATUS EXPENSUS.

S. Conſideratio quadrigæ quæſtionum de Syncretiſmo hoc anno VVitteberg. emisſæ.

Præmisſis & alijs Authoris aberratis.

I.

QUod apud *Veterem Scriptorem, Plautũ* dicitur, *Alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam, qui ipſi ſat habent, quod in ſe verè posſit dicier, Curc. a. 4. ſ. 1.* Sycophantarũ ingeniũ optimè repræſentat. Quo ipſi digni, alios plerũq; incesſunt. Pervertere, calũniari, aliena objicere, ſolenne ipſis, in alijs communiter querulari ſolent. Nec à malefactis rabioſo hoc ſeculo intacta innocentia, Nec à Calumniâ ſecura Veritas. Obuiandum eſt, ut *cauſa, tempus, mores, occaſio, requiſierint. Deſerere* verum, Cum posſis tueri, in DEUM ipſum, primam Veri Cauſam ac ideam, injurium. *Disſimulare*, Cum promere debeas, indecorum. *Pro mendacio* traduci, aut in ſpeciem ejus infucare, à Chriſtiano alienum. Præſtare jam in *Cauſâ adverſus injuſtum Impetitorem* cogor, qui quod in ipſo ejuſq; ſcriptis jure animadvertatur, ſatis habens, in aliorum tamen dicta aut ſcripta invehere paratius habet. *Ante ſeptennium* horribilib. perverſionibus, calumnijs, detorſionibus, in ſcripta mea involavit, quæ *Iren. def. p. 3.* protriui. Subinde & *Apologia Germanicâ & prolegomenis Theol.* Wittebergæ editis nominatim me ſilentem & pacis gratiâ diſſimulanté inceſſijt. Deniq; *quadrigam quæſtionum Theol. de Syncretiſmo* Nonneminis hoc anno Wittebergâ extruſit, in quâ & me meaq; luridè laceſſivit, ruſticiſq; convitijs adortus eſt, nihil autem probavit. Non amplius inſolentes latratus ferendos cenſeo. Oſtendendum literato Orbi,

nec mea esse, quæ oppugnantur, sed aliena multa pro meis stolidè induci, Nec tali modo solidè expugnari unquam posse, & nudè asserenti, nihil probanti, credi non debere. Multa horum in Irenico defenso *p. 3. & 4. & Tr. d. Conciliando, alibiq́;* jam præstita, Unde pleraq; sumi queant. Hic tamen quædam repetenda, & inprimis quadrigæ istius insulsitates detegendæ. Simul & *qualia in cæteris scriptis Author* commiserit, paucis Cum DEO, expendendum. Ne sibi Suffenus videatur, & cum alios corrigere tentet, à seipso, quòd corrigat, primùm auspicetur.

2 *In Metaphysicis* falsissimo principio utitur. Quæ intellectus hominis ratione, ea DEUS realiter separare potest, *p. 1. Met. gen. C. 8. t. 6.* Cujus falsitatem jam ante 16. annos *Tr. d. ess. alic. s.) t. 18.* detexi. Sic enim homo attributa entis ab ente, & DEI à DEO per rationem separat, quæ nunquam DEUS realiter ab illis, Ut pluribus *c. l.* deductum. *In potentiâ alicujus esse* negat modum realem esse, & carentiam veri ac positiui esse ait, *Ibid. C. 4. t. 4.* Quâ ratione nos non verè & realiter in Adamo omnium nostrum Patre fuimus, & consequenter nec verè & realiter in eo peccavimus, sicq; peccatum originis in totum negatur, *& Pelagianis* Veteribus & recentibus, *Anabaptistis, Photinistis*, similibusq; acceditur. *Terram* in orbem volui ingens absurdum & Scripturæ adversum habet, *in Meth. Log. p. 345. Et alibi*, Ego reverâ volui, nec quidquam è Scripturà sententiæ verè adversari *Tr. d. terra revol.* multis ostendi. *Alia* alijs temporibus reservari queant.

3. *In Theologicis* varia sunt, quæ notam mereantur. *In Instit. Theol. p. 1. Theologiam in rudiorem & accuratiorem* dividit, eamq; divis. non purè nominalem, sed realem dicit, *C.). p. 14.* Quæ reverâ insulsa, Naturæ Theol. adversa, & planè accidentalis ei est. *Naturæ definiti adversa*, nam habitus ea est per eundum, *p. 4. 5.* Habitus a. disciplinaris omnis perfectio & accuratio est, ac perfectionem animo humano inserere debet, non rudiorem cognitionem, Nec habitus inchoatio aut rudior delineatio aliqua est,

ut

ut aliene quidam, ut *Keckerm*, *Alstedius*, *Goclenius*, *Ritschel*, habitum dividunt, ubi habitus inchoatus reverâ παδαγόζυλοι est, dispositio propriè inchoata est, Cui habitus ut opposita species & perfectio contraponitur, qui firma qualitas potentiam ad operandum perficiens esse debet, Nisi vocibus abuti velimus, ut in *Log.* & *Metaphys.* & *d. Not. nat. C. 2. t. 7. seq.* dixi, *Prorsus etiam accidentale Theologia est*, rudem & incompletam esse. Naturâ sui completa & exactissima esse debet. Insulsus erit, qui *Philosophiam*, *Medicinam*, *Jurisprudent. jam*, *Physicam*, *Logicam*, in rudiorem & accuratiorem dividet, quæ in seipsis accuratissimæ esse debent, Nec ab ullo accurato scriptore ejusmodi Th. divisiones propositæ, quicquid de *Alstedij* & similium Rapsodistarum divis. sit, ut cum Th: in *Catecheticam*, *Didacticam*, *Polemicam*, Acroamaticam, Propheticam, Casisticam, &c. dividunt, quæ omnia ex accidentariis tantū respectibus sumpta, quæ ad Naturam disciplinæ nihil faciunt. Unde *Cal.* ipse rudiorem delineationem disciplinæ prorsùs accidentalem esse fatetur, quæ adæquata Objecti sui coram mente repræsentatio esse debet. *in Meth. Log. p. 118. seq. Ex modo proponendi Theol.* quandoq; sic vocatur, Ut cum rudiore aut accuratiore modo proponitur, qui totus accidentarius illi. Ex Naturâ sui accurata, completa, justa, exacta, omnis disciplina esse tenetur. *Nec Catechesis* propriè ipse Theol habitus est, sed rudimentum tantùm ejus, & brevis quarundam ejus materiarum delineatio: Nec quisquam propriè loquendo Catechetam Theologum dicit, qui fieri demùm vel evadere talis debet, ubi plenū Theol. habitum consecutus fuerit, Nondum, quamdiu Catecheta est, talis est aut esse potest. Perinde ac nullus Philosophari incipiens propriè *Philosophus* appellatur, sed talis demùm evadere debet, Cum perfectus fuerit. *Theologia*, *Philosophia*, *Medicina*, &c. nomina perfectionum sunt, non rudimentorum, ubi accuratè loqui velimus.

4. *Symbolum Apostol.* negat *p. 36. p. 3. Inst. & quad. qu. d. Syncretis.*

oratiſ. q. 1. ab ipſis Apoſtolis profectum esſe. Sed magno Patrum numero contradicente, Ut *L.* 3. *d. fid. Chr. C.* 4. oſtendam. *Gerhardus* pios Veteres magno conſenſu illud ab Apoſtolis collectum esſe docere ait *C.* 1. *p.* 2. *harm. reſurr. & T.* 8. *L. C. d. reſurrect. t.* 7). Ipſe *Calou.* contra Photiniſtas depugnans magno molimine Apoſtolorum esſe ex *Patribus* contendit, omnibuſq; cordatis venerandæ antiquitatis monumenta potiora, quàm novellorum *Photinianor.* omnium temeraria negantia hic esſe asſerit, *paraſceu. c. Crell. p.* 219. Hic contra *Calixtum* furens, ut ipſi ægrè faciat, ſecum ipſo depugnat, & eorum esſe inficiatur. Mihi potior Patrum, quàm heſterni Sycophantæ authoritas eſt. *In Symbolo Nicæno* nec de Sp. S. proceſſione, nec de Eccleſiâ, nec remiſſione peccatorum aut baptiſmo, nec reſurrectione mortuorum aut futuro ſeculo, nec ſesſione Chr. ad dextram DEI diſertam mentionem factam ait, *p.* 3. *C.* 4. *p.* 227. Inſcitiâ prorſùs crasſâ, & quæ expreſſis Symboli verbis revincitur. *Art.* 2. Chrum ſedere ad dextram Patr. expresſè dicit, & regni ejus non fore finem addit, ac art. 3. Sp. S. de Patre filioq; procedere ait, & unam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, unumq; baptiſma in remiſſionem peccatorum ſe credere, & expectare reſurrectionem mortuorum ac vitam venturi ſeculi apertiſſimè profitetur. Omnes Controverſias adducere aut tractare non debuit. *De Symbolo Athanaſij* falſiſſimè multa *p.* 38. *ex Baronio*, Scriptore fabuloſiſſimo, delirat, quòd Romæ illud conſcripſerit, diu in Archivo Rom. latuerit, donec in lucem productum à Romanâ, Conſtantin. alijſq; Eccleſijs magno conſenſu receptum ſit. Quæ pleraq; falſiſſima esſe *Tr. d. Symb. Athan.* oſtendi, & ex ipſis *Lutheranis* quidam falſò illi adſcribi fatentur, ut *Camerarius in Catech. Græc.* Et *Pelargus* tùm adhuc Lutheranus, in *ſchol. fid. d. Symb. Athan. p.* 297. Ut alibi deducetur.

5. *Diviſionem Scripturæ in legem & Evangelium* negat adæquatam esſe, quod quæ DEI Naturam ac eſſentiam concernunt, ad neutrum propriè ſpectent, & ab utroq; ſupponantur, *p.* 79. *Inſt.*

Con-

Contra omnes Theologos, qui eam adhibent, & *Apol. Aug. Conf.* Quæ universam Scriptur. sic distribui debere asserit, *art. 4. d. Justif. p. 12.* Et *Ipse* sibi parùm constans *p.* 80. materiam Scri. legem & Evangelium esse fatetur, Et *p. 123.* Scri. in legem & Evan. dividi asserit, indeq; utriusq; vim & efficaciam divinam deducit. Sed nec eo sensu sic dividitur, quasi omne in eâ propositum vel legale sit, vel Evangelicum, sic enim multæ historiæ neutrum præcisè concernunt, Ut Simsonis Philistæos maxillâ asiini cædentis, *Iud. 15.* Sed quòd *potissima dogmata* vel legis vel Evangelij sint, vel ad utrumq; pertineant, ut de DEO, ejus esse & attributis, & similia. Sententiam de summo DEO Patre novam vocat, *L. 1. c. Crell. t. 1.* Aperta inscitiâ, Cum quoad rem ipsam satis manifestè ap. *Ignatium ep. ad Tars. Justin. dial. cum Tryph. Et Tertullianum* habeatur, Ut *Meth. d. Trin. t. 19. 20.* dixi.

6. *P. 229. 230. Inst. NicenumConcil.* & alia inprimis ob dogmata fidei tum ab hæreticis negata statuenda & hæreses impugnandas, reprobandas, nō phrases aut loquendi modos statuendos, coacta dicit, Unde & *Nicens Patres* τὸ ὁμοούσιον in tractatu fidei posuerint. *At Nicenum* propter quæstionem de Paschate potissimùm convenisse *Epiphanius, Constantinus M. ap. Eusebium, & Athanasius* tradunt, ac *Papistæ* fatentur, qui eos allegare solent, Ut *Bellarmin. l. 2. d. Sacr. C. 31. Etsi l. 1. d. Concil. C. 5. &* alteram de Chri divinitate addat. Et modos loquendi Concil. istud simul de filio DEI suppeditare voluisse aperta loquendi ratio, quâ de eo utitur, ostendit, DEUM de DEO, lumen de lumine, DEUM verum de DEO vero, ὁμοούσιον & consubstantialem Patri vocat, quæ loquendi formas esse Nemo sanus negaverit. *P. 200. Ad* fidem exquisitam promissionum gratiæ notitiam requiri docet. At quomodo in infantibus baptisatis, pueris, rudibus, idiotis, ea, quibus fides à Christo tribuitur, & ab omnibus Lutheranis tribui solet? Unde in illis exquisita notitia?

7. *Reformatorum error* de Prædestinatione si hæresis est, Ut

Utp. 49. 50. 243. 251. censet, hæreticus erit *Augustinus*, qui eam fovit, constanter contra Pelagianos defendit, & hypotheses ad eam ducentes tenuit *in l. d. præd. & grat. d. grat. & lib. arbitr. De præd. sanctor. D. corrept. & grat. D. bono perseverantiæ, hypognost. &* alibi, etsi ante certamina Pelagiana aliter fortè sentire potuerit, Post ea tamen verè in eà sententiâ permansit, & à quo hauserunt *Calvinus*, & qui eum sequuntur. Quanquam nunquam omnium Reformatorum dogma id fuit, Ut de *Concil. t. 22* dixi, *P. 242. seq. de* hæretici definitione valdè ampliter Philosophatur. Non facilè omnes *Lutheranos* adstipulantes habebit. Quosdam longe aliter de hæretico censentes *p. 3. Iren. def. t. 28.* adduxi. Plures, ut *Reinbothus, Meisnerus, Meyfartus, aliiq́;* si opus, addi possunt. Ex 3. primis seculis nullum secum ita decidentem reperiet. *Augustino* res difficilima visa, etsi integros hæreticor. Catalogos texuerit. *P. 268.* magna stoliditas est, quód *Calixto* opprobrat, quöd vocem mereri *Tertulliano, Cypriano, &* cœteris Ecclesiast. & exoticis scriptoribus quandoq; pro consequi vel adipisci accipi dixerit, Cum omnes *Lutherani* in materiâ de merito operum & testimoniis Patrum pro illis contra Papistas respondere soleant, ipsos mereri generaliter pro consequi accipere. *V. Hutter. L. C. d. bon. op. q. 3. p. 488. b. Meisnerum l. 2. Ph. sob. s. 1. C. 1. q. 33. Et C. 4. q. 3. Balduin. d. mer. op. t. 4. Hulseman. harm. Iac. cum Paul. t. 36. Hunnium Consult. t. 506. Apol. A. Conf. a. 20. Brochmand L. d. bon. op. C. 2. 4. 9. Gerhard. T. 4. d. bon. op. t. 124. Echardum in Pandectis*, Et *plerosq́;* alios. Solus Calumnius reprehendere conatur, quod ab omnibus Lutheranis ut legitimum probatur & adhibetur. Credo, Si *Calixt.* bis 4. 8. esse scripserit, *Calov.* negaturũ, quia Calix. sic scripserit. Olim *Calixtus Calovio* Theologus eruditissimus audiit, *meth. Log. p.* 157. Hodie mutata sunt tempora, & vix umbram ferat.

8. *P. 255. 256. Calixti* mens peruertitur, quasi dogma de quidditate peccati orig. inter Scholasticalia referat, non articulos fidei. At non de qualicunq; descriptione, sed quidditate scho-

Scholasticè apprehensâ &constitutâ, quam rudiores non capient, & tricis ac *formalibus & materialibus Scholasticorum* is loquitur, quæ à fide secerni queant, Ut, *an* formaliter illud peccatum mera privatio sit, *an* positiui quid includat, *quodnam* materiale ejus, & quatenùs in eo spectandum, *an* in animæ substantiâ, an facultatibus propriè subjectetur, *Per* quid in hominem traducatur, an per animam, an per Corpus, an per utrumq;, & quis modus traducendi sit, quomodo anima ut Spiritus traduci possit, Qualia certum est, idiotarum captum in multis superare: Non quantum Scriptura de eo habeat, quasi id non curandum aut eruendum sit. *Similiter de proprietatibus* & relationibus divinis ejus mens pervertitur *p. 252*. Ubi anxias Scholasticorum subtilitates ipse intelligit, quas qui ignorat, *Valentiam*, *Suaretz*, *Tannerum*, *Becanum*, *Martinon in Theologijs Scholasticis*, *Joh. de Radâ in* Controvers. Theol. & *similes* adeat, & quid disceptent, deprehendet: Non quid de rei fundamento, quantum simplicitati fidei satis est, Scriptura revelârit, quod paucis punctis absolui poterit. *P. 265.* iterùm *Calix.* verba calumniose accipiuntur. *Res* haud maximi momenti cum *Papistis* disceptandas non de remiss. peccator. Justificatione, & æternæ vitæ obtinendæ modo intelligit, Sed quæ aliàs fidei Christianæ superiecit, & velut ad eam pertinentia credi postulavit *Papismus*, ut traditiones nescio quas & quotuplices, mendaces Legendas, *Indulgentias*, *Missas*, *Sacrificia pro mortuis*, *invocationes Sanctorum*, *peregrinationes ad loca Sanctorum*, *rosaria*, *Speciales confessiones*, humanas & susceptas satisfactiones, aquam lustralem, ficta jejunia & stata eorum tempora, ac similia, quibus plenus Papismus, & quæ σκύβαλα ac humana commenta in fide sunt, & à principio ad fidem non pertinuerunt, nec ad eam pertinere ostendi possunt. In quibus nugis ferendam levitatem ac stultitiam Papæ & suorum asseruit *Lutherus ass. 36. d. lib. arb.* Ut *Calov p. 266.* ipse adducit. Reliqua, quæ in Instit. illis notam mereantur, alijs temporibus reservari possint.

9. *Veniam*

9. *Veniam ad ea, quæ me ac mea Scripta* concernunt, quæ valde aliene ac varie insectatus est, pervertendo, aliena affingendo, calumniando, & virulenter detorquendo. Specimina sat multa jam *p.3. Iren. def* dedi. Jam alia quædam adducam. *In Apol. Germ. p 29. & 56.* mendaciter de me scribit, quòd similia principijs *Calixtinis* adduxerim, ad ea provocârim, per ea in Syncretismum devenerim. Hæc omnibus suis partibus publica mendacia sunt. Non ex *Calixto*, sed ex ipsâ rerum Naturâ, & naturali æquitate, proprijs ac diuturnis inquisitionibus, meditationibus, observationibus, antiquissimis *Patribus, & Lutheranis Theologis* plerisq; ac principiis, quæ ipsi suppeditant & in scriptis proponunt, mea deduco, inprimis *Mentzero*, qui ad varia hic cogitanda in scriptis suis meditandi occasionem suggessit, Ut cum subinde fidem ad piscatoriam illam simplicitatem revocat, terminos Scholasticos potiùs remondos censet, aliqua piè ignorari debere monet, ad Scripturæ phrases multa revocat, Ubiquetatem & similia præcindere, & ad dicta Scripturæ deducere monet, Ut *p. 3. Iren. def. t. 7. & p. 4.* jam adduxi, et partim in *Meth. Trin. t. 19. seq. 45 seq. Iren. def. De Conciliando, De non liquendo, & alijs, patere potest, Partim L.). d. fid. Christ. c. 3* ostendam, adductis ipsis *Patrum & Theologorum* sententijs. Nec *Calixtus*, sed prisci *Patres & Theologi Lutherani* cum alijs, ipsaq; natural ratio & æquitas ad talia principia me deduxerunt, Quibus si similia habet *Calixtus*, ego ferre cogor, ut similia ex similibus fundamentis deducantur, Cum ipsi æquè *Patres* scripti, ac mihi, legiq; ab utroq; possint, & ex æquo in theatrum Orbis missi sim9. Non præcisè ab eo hausisse dici debeor. Possunt duo ex ijsdem fundamentis similia aliqua deducere, advertere, ut Neuter ab alio hauserit, aut cum eo quidquam communicârit. Nec à *Calixto* præcisè emendicare teneor, qui alia principia aliosq; authores etiam habeo, Nec unquam, quod sciam, ad eum provocavi, sed inter alios & illum allegavi, quod licitum esse

credo

credo. Qualia ego principia habeo, *Irenicum, Tract. d. Conciliando*, aliaq; deduxerunt, & amplius *Libri de fide Christianâ* expedient.

10. *Syncretiſmi* Nomen nunquam in Scriptis meis uſurpavi, nec eum intendi, eoq; nec per *Calixt.* ad eum deductus ſum: ſed antiquam fidem Chriſtianam, ejus Veritatem, puritatem, & ſimplicitatem reductam volui & optaui, adq; illud laboravi, quod expresſè ex *Irenico ejusq́. defens. p. 3. t. 26. Et 4. t. 5. ſeq.* patet. In eo ego ſiſtendum cenſui. Quòd illud *Syncretiſmi aut Samaritaniſmi* nomine diffamatur, in DEUM ipſum & Chriſtum ejus, fidei iſtius primum authorem, atrox injuria eſt, quam in talibus empectis DEUS ſuo tempore ulciſcetur. Jam olim ad ea reſpondi *d. Concil. t. 20. In uno a. puncto*, ut de Symbolo Apoſtolico, cum aliquo ſentire, nondum *Calixtinum* facit. Vetuſtiſſimi enim *Patres* ad illud provocant, quos Calixtinos vocare hominis Inſani eſt. Nec *Solius Calixti* ea hypotheſis eſt, ſed in antiquiſſimis *Patribus Græcis & Latinis* quâ rem ipſam jam reperitur, quos ex parte ipſe *Calovius paraſc. c. Crell. p. 239.* allegavit, Ut *t.* 4. viſum, A pleriſq; etiam *Papiſtis, Lutheranis, Reformatis*, recepta eſt, qui epitomen credendorum ferè fatentur, quos magno numero in *l. 1. d. fid. Ch. C. 4.* adducam, & *C. 5.* univerſa obſtantia reſolvam. *Lutherus* omnes fidei articulos illud compendio quodam complecti fatetur *præf. in 3. Symb. T. 7. Lat. p. 138. b. Conf. t. 16.* Si tot authores ex Patribus & ipſis Lutheranis ſequor, Nemo Calixtinum ex eo me jure proclamabit.

11. *Similiter* falſiſſimè de me ſcribit, quòd omnia in unam religionem conglobari velim, mendacium falſumq́; cum vero compingi intendam, in *excerpt. num 59. ſeq. Et quadr. q. t. 4.* Quod nunquam mihi ſomniatum, tantùm antiquam relig. Chriſtianam reductam, & in ſimplicitate Apoſtolicâ reſtitutam ac ſeruatam volui, ut *t. 10.* monitum, quod longè aliud. Nec falſum ut tale manens, ſed ut correctum, immutatum, moderatiùs propoſitum cum vero conciliandum cenſui, *D. Concil. t. 13. 18. Item* quòd

Trinitatem rem quæſtionis eſſe dixerim. Nunquam id in ſcriptis meis reperitur. Trinitas apertè in Symbolo A. expreſſa, quorſum credenda me referre aliàs dicit, *t. 16. 17.* Eoq; de fide eſt. Sed *quæ de eâ & vocibus in illâ*, eſſentiâ, naturâ, perſonâ, ejus formalibus, diſcrimine, conceptu, de notionibus, proceſſionibus & oppoſitionibus in Trin. diſquirunt Scholaſtici, & in Theolog. diſceptantur, multa Scholaſticam notitiam requirunt, non omnia æquè ad fidem pertinere poſſunt, ut apertè *in Iren. t. 5. & Meth. d. Trin.* dictum. Quod multum diverſum eſt, ut alibi jam monitum. Falsò etiam *Atheiſmum* ihi imponitur, *quadr. q. 1. 2. 4.* Blaſphemè is ex antiquâ fide Apoſtolicâ reductâ ſequi dicatur, Nam *oppoſitum* inde ſequi debeat, ſincera pietas & ſolida agnitio ac cultus, & ex æternis rixis Theologicis finem non habentibus is faciliùs educi tandem queat, ut homines de omnibus dubitare, tandemq; nihil credere incipiant, quod ipſe Atheismus, ut *d. Concil. t. 43. ſeq.* monitum. *V. t. 25. Et id mendaciter* mihi tribuitur, quòd ex *Arminianis* mea hauſerim, parum ab ipſis abſim, ut in *prolegom. Theol. Witteberga* editis mihi tribuit. Dogmata ipſorum in varijs refutavi, Nullum, quod ipſis proprium ſit, recipio, aut unquam recepi, perpetuò oppugnavi. Ex *Patribus & Lutheranis* mea habeo, *t. 9.* Quos legi, priuſquam ullum *Armin.* Scriptum vidi, etſi ipſos quandoq; allegem. Nec à ſcientiâ ita extorris ſum, ut ipſorum adjumento egeam. Si illi obſervent, quod & ego, Orbis ipſis mecum communis eſt, in theatrum iſtud ex æquo omnes miſſi, *t. 9.* Si aliquid obſeruent, quod ad rem, Cur non recipiatur? *Ubicunq; aliquid Veritatis eſt, adverti recipiq; meretur*, Ut DEI aliquis radius ab homine animadverſus, ſecus facturus proditor & deſertor ejus eſt, Ut alibi dixi. *Idem de M. Ant. de Dominis* habeto, quem ſubinde citat, & è quo nihil me habere profiteor. Vix vidi aut inſpexi eum. Si aliqua ad Verum habet, recipi meretur, ut cœtera vera. *Ex dogmaticis a. Arminianorum* pleraq; refutaui, Ut de tempore in æternitate, DEI immutabilitate, *Dec. 1.*

Miſe.

Misc. De Infinitate S. 2. *d esse alic. De* Notitijs Natural. *in Tract. d.* illis, *Et epist. Th.* passim, In quibus adhuc perduro. Quod *Calov. c. l.* adducit, nempe in Symbol. Ap. omnes baptisari, commune omnium Christianorum principium est, & quotidiana praxis ap. Ecclesias verum esse testatur: Apud nullum *Arminianum* unquam id reperi.

12. Mendaciter etiam *Calixtinus* ab eo proclamor *quad. qu. q.*). Quòd quædam cum eo communia habeam, Cum in multis ab ejus hypothesibus dissentiam. Ut 1. *Quòd ille in* Communionem Spir. *Lutheranos, Papistas, ac Reformatos* etiam stantibus & retentis erroneis sententijs recipere velit, Ut *Calov. p. 1. Inst. p.* 207. *277. 459. 465. 469. 472. seq.* tradit, Ego nonnisi correctis & immutatis, & ad Conciliandum tantùm laborare jubeo, eoq; media suppedito, Ut in fundamentalibus consentiatur, De in communionem recipiendo nihil habeo, & multa hic obstare posse dixi, etiamsi in omnibus sententijs consentiatur, Ut *p. 3.* 4. *Iren. def. & d. Concil. t.* 13, *18.* monui. 2. *Quod ille* multa in fide necessaria neget, ut De justificationis modo, Trinitatis in V. T. cognitione, essentiali Messiæ deitate in eodem, &c. Ut *t. 13.* patebit. Ego dogma Trinitatis & justificationis in Symbolo haberi dico, Credo remissionē pecc. quæ est ipsa justificatio, eoq; ipsam fidei Substantiam concernere puto *3. Quòd* ille Cœli hæredes habeat, qui Symb. Ap. agnoscant, etsi in cœteris in multis errent, *Calov. p. 207. 476. seq.* Ego non id assero, sed si alia negent & præfractè in eo pergāt, vix salvos futuros ajo, Ut *p. 3. 4. Ir. def.* dixi. *Co. t. 58.*

13. 4. *Quòd ille* varias peculiares sententias habeat, quas ego nunquam recepi, in multis oppositum tenui, quandoq; prorsùs abstraxi. Ut *de Canonicis* libris Solo priscæ Eccles: testimonio & interventu decidendum, *Calov. p. 131. 587. Alio* dogmatum Theologicorū præter Scripturam principio, traditione Ecclesiasticâ, *p. 208. 478. Trinitate* in V. T. non satis revelatâ, eoq; idiotis tùm non cognitâ, nec illis ad credendum obligatis, *p. 160.*

§32. *De* nomine Jehovæ etiam angelis Creatis DEI personam ustinentibus in V. T. tributo, *c. l. Messiâ* deo futuro sub V. T. etiam non cognito, *p. 213*. Filio DEI nunquam in V. T. in propria personâ apparente aut exhibito, quod *Calixtus d. Trin. t. 21. seq. Et append. t. 23. seq.* tuetur, Logo toto in Christo non minus extra carnem, quàm in eâ existente, *Calov. p. 303. Inst.* De libero arbitrio in Conversione non renati aliquatenùs gratiæ cooperante, *p. 439*. Justitiâ originali dono supernaturali in primo homine existente, *p. 461*. Dubitatione de salute non adeò periculoso dogmate, sed opinandi libertati quondam relicto, *p. 462*. Causarum justificandi & saluandi diversitate, *p. 463*. Articulo justificationis non fundamentali existente, *p. 264. seq. 465. 485*. *Si id* sensit Calixtus. Falsò enim illi adscribi *Behmius in* verantwort. *c. 4.* tradit, DEO Causâ peccati per accidens statuto, Cujus contrarium ego *Tr. d. cau. p. ac.* defendi, Bona opera ad salutem necessaria vocando, *p. 309. seq.* 463. Cujus oppositum etiam in *Irenico & def. ac Misc. Theol. p. 1.* tenui, Quanquam *Calix.* nunquam eâ phrasi se usum, nec usurum esse protestatur, Ut *ibid. t. 3.* adduxi, Et *Latermannum* similiter de eâ protestari in *declar. Apol. & alibi* videam, ut *p. 310. 311.* ipse adducis, Christum ut Creaturam legi, & ut hominem morti obnoxium faciendo, *p. 308.* Quod vix cum tota ejus obedientiâ vitæ & mortis, activa & passiuâ, pro Nobis præstitâ, quam *Luth. c. Piscatorem* & paucos alios Ref: propugnát, consistere poterit, & Cujus oppositum ego apertè profiteor, *epit. Th. L. 1. C. 11*. Articulum fidei ut & hæreticum, definiendo & determinando, *V. t. 14*. Quæq; alia ejus sunt, quorum ego nunquá assensum tenui, *opposita* in varijs scriptis defendi, *Miscellaneis, Festalib. De notit. nat. Epit. Theol. Misc. Theolog. De Caus. p. accid. De Contradict. & Opposit. alibiq.* Ut nonnisi per calumniam Calixtinus proclamer.

14. 5. *Quòd ille*, quid articulus fidei sit, præcisè determinet & describat, *p. 209. 234*. Ego tantùm solidè inquirendum & con-

constituendum dixi, ut omnibus de eo constare possit, Ut ex *Irenic. & def. ejus p. 3. & 4.* patet. *Item* quid hæreticus sit, determinet, *p. 242.* Ego nondùm, sed inquirendum censeo, inprimis etiam vetustioris Ecclesiæ 3. seculorum assensum super eo consulendũ duco, *Ir. def. p. 3. t. 28.* 6. *Quòd ille* generalia quædam media ad Conciliandum proponat, ut Symbolum Apost. Consensum 5. primorum seculorum, Cœterorum Controversorum extenuationem, & velut à fide exclusionem, *p. 208. seq. Ego* longè specialiora produco, & Conciliandi regulas *Logicas, Noologicas, Metaphysicas, Theologicas,* morales, distinctè eruo & repræsento, Ut & in hoc religionum negotio adhibeantur, Ut *t.* 20. patebit, Ut ad conciliandum commodiùs procedatur, prout varia hactenùs edita docere possunt, aliaq; nondum edita, Ut de *Calumniâ Theologicâ, Collatione religionum, Corruptione fidei,* similiaq; monstrare poterunt. *Quæ si tu* negaveris, quæ ab omnibus Christianis recipi par sit, prima velut principia negabis, & ad *Atheismum* paulatim declinabis, ampliusq; audiendus non eris. *Reliqua a.* quæ in Theol: quæri solent, non statim extenuo, sed momentosa esse, ac utiliter disceptari posse concedo, locos Theologicos facere, & ad majorem etiam fidei notitiam, *certoq; sensu ad fidem ipsam pertinere* posse censeo, etsi quid & quantum ad illam absolutam & necessariam fidei substantiam pertineat, nondum satis decisum esse existimem, Quo de *p. 3. & 4. Ir. def.* monitum, *& lib. d. fid. Christ.* pluribus monebitur. *Meysartus* Evangelicas Ecclesias in Germaniâ noxias, sed ferè non necessarias contentiones inter se habere dicit, *l. 4. d. Acad. reform. C.* 13. Neganda autem esse, aut negari posse simpliciter renuo, Cum nulla DEI veritas, etiam in Physicis, moralibus, Medicis, negenda sit, multò minùs in Theologicis. De quo *c. l.* actum.

15. 7. *Quòd ille* Syncretismum cum reliquis sectis, *Papistis & Reform.* ineundũ censeat, urgeat, promoveat, *Calov. p. 207. seq. p. 236. seq.* Ego de eo non cogitavi, nec Syncretismi vocem ullo

ſcripto adhibui, an iniri ille debeat, an minùs, *t. 10.* Tantùm media Conciliandi Logica aliaq; propoſui, quibus nonnulla in Theologicis ut concilientur, ſalvâ veritate & fide, laborari queat, Ut Scripta docent, *t. 12.* 14. Ubi conciliatio aliqua ſucces ſerit, *an tùm Syncretiſmus aliquis* cum cœteris religionibus ineundus, an non, de eo nihil ego memini aut conſtitui. Obſtacula eſſe poſſint, quæ non ineundum moneant, etſi in ſententijs conſenſus ſit, *t. 12.* 8. *Quòd ille* in Theol. morali ferè ad legalem ſalvandi modũ deflectat, quaſi lex Naturæ cum poſitivâ lege Chri plurimum exigente poſt Chriſtum exhibitum ſalutem adferat, *p. 305. 306. ſeq.* De quo ego nunquam cogitavi, Oppoſitum inſinuavi *Ep. Theol. p. 3. C. 35.* Et legem fidei ac operum, Spiritus & peccati, paſſim in Sacris contraponi videam, *Rom. 3. 4. 5. 8. & paſſim.* In tot tantiſq; ſi à *Calixto* divertam, nonniſi à mendacibus Sardis Calixtinus proclamari poſſum.

Reſponſio ad quadrigam quæſtionum, & qu. 1.

16. Nunc ad *inſignem quadrigam qu. Theologicar. d. Syncretiſmo Nonneminis*, ut titulus habet, veniendum, & quid in eâ *Author* præſtiterit, videndum. Directè contra me, ut video, edita non eſt, ſed alium. Per alterjus tamen latus me pungi video, ad me provocare Illum, meiſq; principiis uti dicitur, multaq; convitioſè in me projiciuntur. Itaq; reſpondendum Authori ut Sycophantæ & Convitiatori eſt, ut videre incipiat, non ſtatim aurum eſſe, quod vano fulgore oculos perſtringat. *Quæſtione 1. de Symbolo Apoſtolico agit. Negat ab ipſis Apoſtolis profectum eſſe.* In quo *Secum ipſe* depugnat, qui id olim contra Sociniſtas aſſeruit, & *Gerhardum* contrarium habet, ut *t. 4.* dictùm, ac plurimos Lutheranos contradicentes habet, Ut *L. 1. d. fide Chriſt.* oſtendam. *Negat omnes articulos fidei eo contineri.* In quo Lutherum contrarium habet, *t. 10.* Et *Seipſum*; qui illud pro fundamento ac normâ decidendi in Oecumenicis Concilijs habitum eſſe aſſerit, in *diſſert.*

Roſtoch. c. Crell. p. 220. At normam decidendi in fide plenam eſſe oportet. Et *hac ipſâ qu.* 1. *t.* 3. Ubi etiam abundare quoſdam articulos in eo dicit. Si abundant, E. neceſſarios maximè contineře oportebit. Non enim de brevi Symbolo contrarium præſumi poteſt. Multi etiam *Patres ac Lutherani* contrarium docent, Ut *dict. lib.* oſtendam *C.* 4. *Patres* ſæpiùs regulam fidei illud vocant, *Irenaus, Tertullianus, Ambroſius, Auguſtinus. V. Gerhardum T.* 1. *L. C. d. interpret. Script. t.* 76. Regulam a, adæquatam regulato ſuo eſſe oportet, ſecùs non ſolida eſt. *Cyrillus Catech.* 5. In paucis verſibus univerſam fidei doctrinam comprehendimus, ait de Symb. Apoſt. Quam Vos volo verbatìm memoriæ mandare, quod approbat *Hanmannus de Symb. Ap. C.* 3 *t.* 3. *Frantzius* fundamentum doctrinæ religionis judicat perhibendum Symbol. noſtrum Apoſtolic. *Vind. c. Smalc. d. perſ. Chri. t.* 97. Cum his tranſigere poterit. *Omnes Lutherani* præcipuos articulos eo contineri aſſerunt, Ut *c. l.* deducam. *Meiſnerus* fundamentales eo comprehendi docet, *diſ. d. part. fid. t.* 101. Quod Nobis ſatis eſt, qui tales eo contineri cenſemus, non omnes, prout amplè titulus art. fidei ſumi ſolet. *V. t.* 17. *Plures* alibi apponam.

17. *Negat ſufficienter Orthodoxum ab heterodoxo eo diſcerni.* Si inter duxios & ſeductos, ut *Luth.* loquitur, ſimplices & doctiores ac propugnatores, ſimpliciſtas & dogmatiſtas, errantes & errones diſtingueres, aliquid diceres. Cum omnia indiſtinctè converras, nihil ſolidi præſtas. *Verè Symbolum iſtud eſt Symbolon*, j. e. nota & teſſera Eccleſiæ veræ & Orthodoxæ, quâ ab omnibus ſectis & heteredoxis diſcernenda, ait *Forſterus præf. diſp. Catech. d. Symb. Si* ſic, quidni & Orthodoxum ab hæretico, verè ac falſò credentem diſcriminet, ſi juſto ſenſu Scripturæ teneatur, Quod ego ſemper requiſivi, & in *Irenico* apertè poſui, Etiamſi tandem non omnes Controverſias inde decidere queamus, quorſùm etiam non datum eſt. Sed tu perpetuò hic articulum fidei *latè & ſtrictè ac ſtrictisſimè dictum* commiſces, art. fidei & locum Theologicum, veri-

veritatem, notitiam & dogma Theol. confundis, quæ longè diversa. Quis accuratè art. fidei sit, nondum inter ipsos Lutheranos satis constitutum est, ut *Meisnerus dis. d. attr. fid. t. 61. Et d. part. fid. t. 101. Et in Theol. Phot. C. 4.* non diffitetur, & operosam disput. requirere dicit, quod jam *t. 14.* notavi. *Leidenses* in discernendo necessaria puncta à non necessarijs ingentem laborem positum agnoscunt, Ut *Arminiani p.* 11 *apol.* adducunt. Similiter quis propriè hæreticus sit, nondum satis constitutum, *t. 7.* Si hæc duo plenè, justè, solideq; constituta forent, ut ab omnibus reciperentur, ingens variorum Controversorum compendium, magnaq; partium moderatio in varijs occupari posset. Diversis illis manentibus controvertendi moles superesse cogitur, & dum alter alteri hæreticus est, in odia ac persecutiones immaniter declinatur. Ideò solidè de eo quærẽdum & constituendũ *in Iren. & defen.* monui. *Tertium ob statũ Prussiæ hujus* addendum, Quis & qualis hic Reformat⁹ præcisè sit, an ut in Helvetiâ & similibus, an longè alius? De hoc *t. 26.* videbitur. *Tu &* articulum fidei, & hæreticum nimis extendere alijs videris. *Alij* nimis contrahere videntur. Nullus ita asserere, ut omnium in Christianismo certantium assensum accipiat. Ut tu pauciq; tecum id constituant, reclamante reliquâ Ecclesiâ, vanum est. Totam Ecclesiam concernit, à totâ aut maximâ ejus parte decidendum erit. Ego decidere illud nunquam animum induxi. Decidi tamen utile fore monui, & exspectavi. Sed non à te & similibus, sed Spiritalibus Viris, ut *Augustinus* vocat.

18. Jam *tota qu. tuæ* 1. *tractatio duabus maximis confusionibus* procedit. Nec artic. fidei, nec hæreticum plenè definijsti, tantùm Orthodoxum & hæreticum crepas. Si Orthodoxum dicas, qui placita Lutherismi de plano accipiat, ut tota tractatio docet, & cœtera vitiosissimum monstrum sit, habeto tuum Orthod. Sat multi eorum in Orbe. Ego infernalem furiam æstimabo. Si alium, & quem ac qualem, ac quantum tandem, distinctè & plenè

expe-

expediendum fuit. Voces crepare non ſufficit! *Accuratis pleniſq; definitionibus* juſtè negotium conſtituendum eſt, ubi variè vacillabis. *Deinde* nunquam inter duxios & ſeductos, Doctores & ſecutores, *t. 17.* diſtinguis, quod tamen necesſariò faciendum. *An de utriſq;, an de alterutro quæſtionem intellectam velis, an aliter,* & *de quo tandem, & quouſq;?* Non omnis hæretico conſentiens ſtatim hæreticus eſt, & tales maximam partem in Eccleſiâ erroneâ interdùm ſunt, ſeducti nempè, ut in *Papatu, Menniſtis,* qui ex ſimplicitate & ignorantiâ errant. *Poteſt* Symbolum ſimplicibus ad ſecernendum fidelem ab infideli ſufficere, Ut Cathechumenorum in Vet. Eccleſiâ exempla docent: *Posſit* & Doctoribus in præcipuis ſufficere: *Posſit* neutri parti certo caſu ſatis esſe, prout quæſita, de quibus quæratur, fuerint. Ut, an anima hom. per tracem, an creationem, an aliter oriatur, an immortalis ſit, & de angelis quæ infinita quæruntur, de quibus in *Michael: aliaq; V. t. 8.* Hæc quia non diſtingvis, ſed confuſe omnia converris, Quomodo tractatio ſolida erit, non diſtinctè necesſarijs terminis expenſis, unde lumen tractationi inferendum? Ipſe diſcrimen *t. 19.* agnoſcere cogeris, Sed in tractatione totâ pesſimè omittis. De hæretici definitione *Lutheranos* omnes conſentientes non habebis, *t. 7.* De artic. fidei etiam non, *t. 17. Alij* alia vident & tenent. Quæſtio, Cujus tu occaſionem rapis, *tota de infirmis & ſimplicibus eſt,* an illi, Cum Symbolũ in ſimplice ſuo ſenſu, remotis aut ignoratis etiam ſectarum disſenſionibus & Controverſijs, recipiunt, pro Chriſtianis agnoſcendi? Et de Eccleſiâ, de quâ quæſtio orta, ita res eſt, ut maxima ejus pars ſimplicibus conſtet. *Tu varios hæreticos & erronea docentes, ſeminantes,* & propugnantes producis, quos Chriſtianos haberi negas, de quibus Nemo noſtrûm unquam ſomniavit, Nec Ille, quem pungis. Si aliter tibi relatum, prout mendacibus relationibus te circumductum ex toto Scripto video, fallacisſimè tibi impoſitum eſt, & cum larvis ac lemuribꝰ depugnas, *V. t. 30. Totas a. Eccleſias* errantes aut ſimplices idiotas ſeductos

damnare ne *Lutherani* quidem ſolent, ſed DEO eos committere. Secùs omnes noſtros proavos ſub Papatu damnare oporteat, quod nemo audet, *t. 25. Perpetuò inter ſeductores & ſeductos* diſtinguitur, & puriora horum corda, quàm illorum ora fuisſe asſeritur. *Si de doctoribus* accipias, ſic capiendum erit: Qui Symbolum recipit, ſed in vero ſuo ſenſu, & non aliquid ſimùl docet, quod directè aut proximâ Conſequentiâ ei adverſatur, is Orthodoxus habendus. Sic Minor de *Papiſmo, Socin. Anabap.* accepta falſa erit, *t. 19.* Quæ pesſimè hic prætermittuntur. Multi etiam ob pravam praxin ab fidelium numero reſecandi, etiamſi in Symbolo & ſententijs ac theoriâ omnes conſentiant. *V. Rom. 6. 8. 1. Cor. 5. 6. Gal. 5. 6. 2. Teſſ. 3. Et alibi.*

19. Ita *confuſè* omnibus congeſtis ad *Papiſtas, Calv. Anabapt. Photiniſt.* alios tranſis, & Symbolum omnes profiteri ais. *Si ſimplices* Chriſtianos intelligas, aliquid fortè dicas. *Si doctores & dogmatiſtas*, vix concedi debeat, ſi verum Symboli ſenſum attendas, quicquid illi crepent. Solum Symbolum profitentes, ſi cœtera validis erroribus teneantur, & præfractè perſiſtant ac propugnent, aut atheè vivant, veros Chriſtianos esſe, aut ſalvos fore, aut ab hæreſi abſolui debere, nunquam ego asſerui, ſed contrarium, ut ex *Iren. def.* patet. *V. t.* 12. Nec *Ille*, credo, quem pungis, ſed falſis relationibus niteris. *Et ſenſum Verborum Symboli* etiã tenendum alibi in *Iren. & defenſ.* jam monui, etſi ſimplicibus in ſimplicitate conſulendum esſe certum ſit. *Papiſmus varias idololatrias invehit*, quod contra Credo in Symbolo eſt, Trinitatis dogma per Scholaſticas concertationes corrumpit, quod *Dorſcheus* demonſtrat, Mariam Chriſto in Pasſione adjungit, Chriſtianiſmum in theoriâ & praxi corrumpit, Eccleſiæ naturam in multis pervertit, & Communionem Sanctorum ad vana ac inania detorquet, ut purgatorium, Misſas pro defunctis, aliaq;, ut *anat. Papiſmi* dicam, ſicq; non ſatis Symbolo conſentit. *Photiniſmus* Trinitatem & filij deitatem negat, ſatis in Symbolo fundatam,

Cum pariter in eum, ac Patrem, credi dicatur, Chriſtum carnem & ſanguinem poſt aſcenſionem habere negat, & ſic reditum ad judicium evertit, & Carnis reſurrectionem negat. Quæ apertè contra Symbolum. *Anabaptismus* conceptionem Chriſti qvà carnem in & ex Mariâ negat, in reipsâ & deitatem & humanitatem evertit, & Carnis reſurrectionem negat. Qvæ omnia Symbolo contraria. *Veteres hæretici omnes punctum* aliqvod Symboli everterunt. *Manichæi* duos Deos finxerunt, *Marcionitæ* Chriſtum verè natum, paſſum, mortuum, & reſuſcitatum negârunt, *Carpocrates* merum hominem & ex conjunctione maris & fœminæ natum dixit, Corpus Chriſti cœlo receptum, & carnis futuram reſurrectionem negavit, Similiter omne peccatum negavit, & opinione tantùm conſtare dixit, *Neſtorius* Chriſtum duplicavit, *Eutyches* Deum & hominem confudit, ſicqve utrumqve ſuſtulit, qvæ omnia contra Symbolum ſunt. De his duobus *Lutherum* tuum adi, qvi eos excuſat, injuriam illis factam cenſet, & hoſtes eorum penè Orco addicit, *L. d. Concil. Alii* alia ſomniârunt, omnia contra Symbolum, ut plurib. *d. fid. Chriſt. c. 5. docebo.*

20. Cum his, *ut manent, non mutant aut corrigunt, aut moderant,* communionem ſpiritualem inire velle Nemo Noſtrûm unqvam cogitavit. Mendaciſſimè *t. 11.* mihi id imponitur. Contrarium in ſcriptis meis reperies, Ut *t. 11. 12.* jam monui. Qvi de eo, quem pungis, narravit, impudenter tibi impoſuit. *De ſimplicibus ſermo est*, non ſeductoribus, ubi de Symboli profeſſione agitur, *t. 18. Photiniſtas me* ab hæreſi & errore fundamentali abſoluere, & in communionem admiſſos velle, commentum tuum 6. jugera longum, non meum aſſertum eſt. Nunqvam id ſcripſi aut cogitavi. Contrarium *t. 19.* habes. *Errata corrigere, mutare, moderari,* & cum ipſis laborandum dixi, & ſic ad conciliandum aliqvid promovendum. De in Communionem recipiendo, & ab hæreſi abſoluendo altum ſilentium *Ad primam fidem omnia revocare, errantes in verum ſenſum reducere, à falſo abducere, ambiguitates vocum*

detergere, ex mitioribus rigidiores moderare, duriores relinqvere, infirmos suscipere & informare, non cum seductoribus & pertinacibus confundere aut pariter tractare, Jò non liqvere qvandoqve arripere, à calumniando, detorqvendo, & semiplene explicando abstinere, ex propiùs ad verum accedentibus, qvales ex *Papistis & Reformatis Lutherani* semper allegant, ut *Gerhardus, Meisnerus, Echardus, Himmelius, alij*, reliqvos ad idem faciendum inducere, in omnibus Christianè procedere, similiaqve *Irenicum, defensio ejus per 4. partes, & Tr. d. Concil.* voluit, & hoc scopus fuit, an per talia media ad conciliandum ad aliqvid in religionum diversitate procedi possit? *Tu*, velut nihil horum omnium extet, Nos in communionem omnes recipere velle fabularis. De qvo gravissima tibi ponenda erit DEO ratio. Huc & pertinent, qvæ *t. 5.* congeris. Nos ab hæresi tales hæreticos absoluere nunqvam intendimus. Cum larvis in totâ hac *qv. 1.* decertas. Si *Calixtus* eò fortè inclinet, Nos ab eo divertere jam *t. 12. 15.* professi sumus. Defensores suos tamen & is inveniet. Mirarer impudentiam tuam, nisi de ingenio tuo aliunde constaret, *t. 30.* Ab hæresi eos absoluere necessum esse, si sola Symboli professio sufficiat, utraqve parte falsum est. Nec necesse id, Nam Symboli puncta qvædam negant Socinistæ, *t. 19.* Nec talis professio, qualem tu fingis, pro doctoribus & seductoribus sufficit, utcunqve simplicibus sufficiat, quæ tu omnia tumultuariè confundis, *t. 18. Papistæ & Anabaptistæ* Communionem nostram non expetunt, Segreges suos cœtus Elbingæ habent. De illis recipiendis nil cogitare opus. Soli *Reformati qvidam* sunt, qvi jungi cupiunt, & ab annis 90. hic & Thorunii juncti fuerunt, & relinqvi petunt. De qvibus *t. 26.* videbitur.

21. Dictum *Esai. 5. t. 5.* adductum Nos non stringit, qui bonum malum, & contrà non dicimus, sed figmentum tuum est, & *d. Concil. t. 8.* Satis solutum est. 2. *Joh. v. 10. 11.* Qvod & *q. 3. t. 3.* reducis, si de ave externo accipies, qvid de Christo cum Pharisæis & scribis edente ac bibente facias, hæreticis sanè, blasphemis, proditoribus tandem & Cruxifixoribus ejus, maturè dispicias?

spicias? De salutatione non civili, sed fraternâ *Hunnius, Muthesius, aliiq;* rectè explicant. Qvam Nos veris hæreticis non assignamus. *Et seductores extraneos ad nos venientes* intelligit, qvales non seducti & rudes idiotæ, qvi jam nobis juncti, unumqve Reipublicæ corpus qvà *Reformatos & Papistas* faciunt Gedani, Elbingæ, Thorunii, &c. Cœtera dicta Nos etiam non stringunt, qvi id nunqvam asservimus. Qvæ *t. 15. de Samaritanis, Pseudoapostolis, Eudoxianis, Rhetorianis, Lampetianis*, declamas, omnia è dictis in fumos abeunt, à Nobis prorsus aliena sunt. Erroribus correctis & mutatis Nos conciliari volumus, non retentis, *t. 1.. 12.* Qvemvis in suâ religione saluari posse nunqvam Nobis in mentem venit, sed *Puccianum* delirium est. Solam veram Christianam fidem saluare jam in *Irenico & defens.* ejus asserui. Qvi non credit filio, non videbit vitam, *Joh. 3. & 4. Act. 4.* Et passim. De *Cassandro Moguntinos* opponis, & *Lutheranos* tuos relinqvis. Hi Virum validè laudant, & Cæsares ejus consiliis usos ajunt. *V. Gerhardum T. 8. d. mort. t. 433. Et proem. Conf. Cath. c. 3. Himmelius* Papistarum doctissimum, prudentissimum, moderatissimum vocat, *d. 7. Antibell. t.* 28. Parum refert, qvid de eo aut *Calixto Moguntini* ut hostes, censeant. *Testimonium hostis semper suspectum.* Si te turbonem validumqve hæreticum proclament, credo, parum ad animũ demittes. Et cum sæpiùs pro Evangelicis contra Papistas eum adducamus contra illos magnifacimus ac defendimus, & tu temerè cum *Papistis* eum denigratum cupis. Jugulũ purioris doctrinæ peti, ut *t. 17.* putas, commentum tuum est. Veritatem ubiqve relinqvimus & intendimus. Qvæ fundamentalis illa & necessaria sit, sine qvâ salus non datur, & qvâ ignoratâ executitur, inqvirimus, t 14. Scripta mea commenta exitiosissima esse, ut *t. 11.* ais, paris cum prioribus veritatis est. *Salubria esse* scio, & moderandis immodicis rixis apprimè facientia. Qvod hoc rabioso seculo inprimis necessarium.

22. Qvæ ex *Papistis* adfers, Papistis relinqvantur. Contraria ex moderatioribus adduci possunt, & Calixtus vind. c. Mo-

guntin, p. *1*. adduxit, Ego *libris d. fid. Christ.* adducam, ut *t. 10.* dixi. Qvæ ex Svecis, *t. 9.* illis linqvantur. Solidas rationes adduxisse satius fuisset. Qvæ in juventute censuisse dicis, *t. 39.* non novi, nec curo. Prout nec, qvæ jam censes, postqvã totũ te in fermento esse video. Satis, si simplicitas illa fidei *ex sensu Scripturæ in simplicitate suâ proposito pro ... etur*, sive tu de eo abstracto conceptu asseqvaris, s. minus, ob id Nemo velum vorterit. Ipsos *Apostolos, Evangelistas, & primos Patres* adito, & vide, an ad piscatoriam simplicitatem ejusqve sensum te deducere valituri sint? *De eo, bona opera sunt necessaria ad salutem*, Vos contenditis. Spiritus S. non ita loqvitur, sed *sine sanctimoniâ Nemo videbit dominum, ait Heb. 12.* Discrimen vides, & priscam simplicitatem advertere debeas. Jam in *Irenico* olim apertè id monui. Sed surdis fabulas. Sic apud *primos Patres* de terminis unionis personalis & ejus formali, Communionis Naturarum & idiomatum in Christo ac similibus nihil aut parum invenies, Simpliciùs enim fidem tenuerunt: Qvæ apud *Damascenum* & similes jam usitata. Aliud fides, aliud perplexitas Scholastica est, ut *Lutherus, Mentzerus, Meyfartus, Meldenius, aliiq; dudum professi sunt, & c. l. c. 3. 5.* deducam.

23. Qvæ de *Syncretistis, Syncreticis collusionibus similibusq;* promis, tibi habeto. Qvos pungis, & voces, & res respuunt, *t. 10. 35. Primam illam* solidamqve fidem reductam volunt, in eaqve acqviescunt, nullam damnatam hæresin admittunt aut absoluunt, ut censes, *t.* 20. Si ob id *Novatores* sumus, tu *Veterator* permaneas. Scriba doctus de penu sua Vetera & Nova proferre didicit, *Matth. 13. v. 12.* Qvæ de officiis doctorum, scandalis, periculis, gloriâ Dei & Verbi ejus, *t. 7. 8. 9.* adfers, omnia extra Rhodum & circum exerrant. Fiunt ea in his Ecclesiis, *t. 25. 28.* Modò ne etiam infirmis ex intempestivo Zelo obstaculum pereundi ponatur, *Rom. 14. v. 15. seq.* Qvorum magna pars semper in Ecclesiâ, & qvos credendi simplicitas tutissimos facit, Vt *Augustin. c. 4. c. ep. fundam* loqvitur, ac magis à rectâ fide dimoveantur, qvam eò manuducantur. Hoc omninò cavendum. *De Exprofessore Gedanensi* & Elbingensi, ut me

vocas,

vocas, vanè tripudias. Ab utroqve loco conditio mihi esse potest, dum pax reducta fuerit. Ab illo *Tu* per rabidas calumnias tuas, ac hoc furiosi *Papistæ* per sævitiem discedere ad tempus me coëgerunt. Ultorem DEUM hi jam proximo à discessu meo anno senserunt, sedeqve suâ pulsi sunt. Tu manus ejus non effugies. Mihi utroqve in loco, ubi voluerim, degere licet. Ac dum pungere me videris, extollis. *Exconsul, Exprator, Exprafectus*, honoris ac dignitatis nomina Romanis fuerunt. Si nosti, insulsè pungis. Si ignoras, discendum relinqvitur.

Responsio ad qvæst. 2.

24. Hæc de *nominibus Schismaticis Lutheranorum*, *Calvinist. Papistar. Anabaptistarum* agit. Ego omnia fero, & ipse in Scriptis usurpo. Ille, qvem injustè pungis, idem facit, & in concionibus adhibet. Unum Nos omnes in Christo esse exoptarem, *Gal. 3. v. 28.* Et DEI vivi templa esse, *1. Cor. 3. v. 16. 2. Cor. 6. v. 16.* Sed qvia per obstacula esse non licet, & diversi ac dissecti esse, & diversis nominibus insigniri cogimur. *Ab initio tamen non fuit sic.* Religio Christiana à principio sui unica fuit, & Christiana dicta. Qvi professi eam, Christiani nuncupati, *Act. 11. v. 26. c. 26. v. 28.* Non aliter. Si ita in puro vigore permansisset, nullâ aliâ appellatione opus fuisset. Post *sectas accepit sub unâ fide*, ut Paulinus, Petrinus, Christianus alius diceretur, qvod Paulus damnat, *1. Cor. 3.* Et Nos cum eo. Postea etiam *à variis erroribus sub diversa fide* nomina data sunt, à qvibus adhærentes ea acceperunt, postqvam religionem ipsam immutârunt & corruperunt. Hinc *Ebionæi, Manichæi, Marcionitæ, Carpocratiani, Ariani, Nestoriani, &c. dicti.* Utrumqvè hoc per accidens & vitio hominum fuit, non naturâ religionis. Ad *ultimum* etiam à *Restauratoribus* puritatis ejus nomina traxit, & *à Waldensibus*, qvorum Lutherus honorificè meminit, *Waldensis*, *Lugdunensis*, *ab Husso Hussitica*, *Luthero deniq; Lutherana* dicta. Et hoc per accidens. Si pura mansisset, restauratore opus non habuisset. De qvo plura *p. 3. Iren. def. t. 3). seq.* dixi. Hic

vocem *secta* Veteres adhibuerunt, & adhiberi qvandoqve opus fuit, qvæ significato sui generalis est, ad verum ac falsum indifferens, magnis Authoribus ante & post Christum natum usurpata, & Naturâ sui tali sensu usurpari potest. Et hic *Actor. 26. & 28. Tertullianum, Basilium, Augustinum, Symmachum, Galenum, alios* allegavi, *Iren. def.p. 3. t.*). Non ad *Calepinum* aut *Dasipodium* te remisi, ut tu nugaris: Et licet fecissem, in usu vocis Latinæ fieri par est, nec forum declinare debeas. Imò ad *teipsum* te ablegabo in *Method. Log. p. 475.* In disputatoriis exercitiis *inter ejusdem secta homines institutis* Præses munere qvoqve Doctoris fungatur, inqvis. Ac in hoc usu vocis persistimus, Cum sectas in Christianismo dicimus. Ubi falsæ & veræ interurrere possunt. Et sic *Lutherismus* secta dictus ab eo, qvem pungis, & à me, qvem vanè oppugnas. *Hülsemannum* etiam *& Hunnium* obieci, ubi taces. Ut *Hunnius* de Lutheranâ Ecclesiâ, sic ego de fide: Non qvia fides Lutherana, ideò vera, sed qvia Christiana. *Nec contrà* qvia non Lutherana ideò falsa. Totam suam veritatem è Christianismo habet, Ut *c. l.* dictum. *Et qvia peculiaris Deum profitendi modus est*, segregatus ab omnibus aliis esse cupit, validè id propugnat, in priscâ simplicitate ut sufficiente sistere maximâ Scriptorum parte renuit, infinita Scholasticalia simul involuit & disceptat, in infinitum disceptata extendit, qvorum ne millesima pars Christianorum gnara aut capax, nec modum in eo, nec finem curat, pertinaciter in eo perseverat, secùs sentientes aut moderantes *tepidos*, *Neutralistas*, *Samaritanos*, *hypocritas*, *& qvos non*, proclamat, ita fieri publicè vult & laudat, meritò ad discrimen istud exprimendum sectæ nomine comprehenditur. Pluribus hæc *p. 3. & 4. c l.* deducta. Per hæc ad omnia, qvæ *hac qv.* profers, responderi potest. Nec qvisqvam ea negavit, qvæ profers, sed cum commentis tuis digladiaris, & relationibus, qvibus nimium tribuisse videris. Qvod si *Is*, qvem pungis, de *sectis minuendis potiùs*, *qvàm augendis*, & ad veritatem Veteris fidei potiùs, qvàm ad variarum sectarum diffusionem in

Christi-

Chriſtianismo laborandum intellexit, ut mihi ferè probabile ſit, verè dixit, & tu mentem ejus alienè detorqves, qvaſi abſolutè nomina illa, qvæ ſciſſione manente retineri opus eſt, reprobaviſſet. *Contentiones non ſunt ampliandæ, ſed reſtringendæ, & qvantum fieri poteſt, ſine jacturâ fidei amputandæ, ait Roſtius C. 1. d. Chriſt. Arntii.*

25. Parili loco *Calviniſtas Doctores, Papiſtas, Menniſtas, cum Orthodoxis*, & bella Domini cum vanis contentionibus & rixis Nos habere, ad Atheismum inclinare aut inducere, officium redarguendi Nos tollere, mera commenta & mendacia ſunt. Ipſa *praxis Eccleſiæ Elbingenſis* in ſcriptis & ſuggeſtu contrariū demonſtrabit. Publicè errores notantur, refutantur, auditores informantur, erronea caveri jubentur, nominatis etiam ſectis ac authoribus erroneis, ad juſtum ſenſum Symboli Apoſt. deducuntur, *t. 28.* Et ſimiliter. Sectario nomine & *Lutherismum* comprehendere ipſe occaſionem miniſtrat & invitat, *t. 24.* Diſcriminis gratiâ disſentientes ſuis nominibus appellari ferimus, & ipſi facimus, *Reformatos, Papiſtas, Photiniſtas, Mennoniſtas*, dicentes, & qvæ *t. 2. 3. 4. 5. 7. 8.* habes, univerſa concedimus. Stipularum nomine 1. *Cor. 3.* doctrinas etiam vanas & inutiles, opiniones ſingulares & erroneas, incerta ac infirma dogmata intelligi, qvalia multa in Papatu, Commentatores ferè concedunt, *Hunnius, Mutheſius, Cluverus, Pareus, Bellarminus, Roſtius præf. c. l. Junius anim. in præf. Bell. d. Concil. n.* 18. *alii. Illas*, qvæ per indirectum fundamentum labe facient, non prorſùs tollant, ſimùl involui nihil abſurdi habet, & de proavis noſtris ſub Papatu morientibus applicare ſolemus, qvos non damnamus, *Conf. t. 18.* Qvæ *t. 6.* de Deo causâ peccati, univerſali Dei gratiâ, & abſoluto decreto inſeris, nunqvam omnium *Reform.* dogmata fuerunt, ſed diſtinctè hic procedendum fuiſſet, Ut *Tr. d. Cauſ. p. acc. t. 50. Et d. Concil. t. 22.* dictum, *De præſentiâ in Cœnâ & orali manducatione* benè explicandum eſt, ne erronea cogitata, locales adſiſtentiæ & extenſiones, aut Phy-

ſicæ abſumptiones mentes auditorum cointrent, ſanamqve ſententiam pervertant, *t.* 29. Qvæ *t.* 9. 10. *de* ſeparatione addis, vocis ſectæ uſui nil adimunt. *Sive Lutherus* cauſa ſeparationis à Rom. Eccleſiâ ſit, *ſive* ab eâ pulſus ſit, ut ex ejus teſtimonio, qvod citas, patet, *Lutherismus* ſecta ex claſſico priscoqve uſu vocis dici poteſt, *t.* 24. Principio *Lutherus* non ſeparari, ſed abuſus in Rom. Eccleſiâ corrigi voluit. Poſtea & ipſe jure ſe ſeparare, ac è Babylone exire potuit, *Eſai. 52. v. 11. 2. Cor. 6. v. 17. Apoc. 18. v. 4.*

Reſpon. ad. qv. 3.

26. *Hæc de Reformatis ad Cœnæ uſum cum Lutheranis admittendis* qværit. Hic ſtatum qvæſtionis planè *imperfectè* poſuiſti. Inter *Reformatos qvosdam crasſiores, alios ſubtiliores*, moderatiores & rigidiores, Supralapſarios & ſublapſarios, Remonſtrantes & Contraremonſtr. Gomariſtas & Arminianos eſſe noſti Certè noviſſe debes. Jam qvales *Elbingæ* ſint, qvi nobiscum communicant & admittuntur, non ſatis noviſti, ut ex omnibus, qvæ indiſtinctè tradis, video, & à relationibus, ut ante dixi, tibi impoſitum eſſe ſentio. *Tertium* membrum in eo eſt, qvod in toto hoc negotio ſummoperè neceſſarium eſſe *t.* 17. dixi. Ex illis, qvæ ſubjungam tota res evidentior futura eſt. *Sic ſtatum qvæſtionis* formare debuiſti, ſi juſtè ad rem noſtram, ut Elbingæ ac Thorunii eſt, ſtringere volueris. *An Reformati moderatiores, & ferè in omnibus Lutheranis accedentes, in eo coetu, Eccleſiâ, & ſtatu, ubi ab annis ferè* 100. *jam junctìm & pacificè vixerunt*, in unam Eccleſiam coaluerunt, ad Communionem utrinqve admisſi ſunt, Unum Corpus Reipubl. fecerunt, Auguſtanam Confesſionem & Apologiam utrinqve receperunt, ad eam provocant, etiam articulum 10. Invariatæ recipere parati ſunt, ſub privilegio ejus Regio, non diſtincto, Variatæ, an invariatæ, ab annis 95. egerunt, Ceremonias Lutheranorum univerſas ſuſcipiunt, de Lutherrismo non malè ſentiunt, in eo liberos ſuos in Collegio publicè informari ſinunt & jubent, *Calvini*, *Bezæ*, & ſimilium dogmata de

Prædeſti

Prædestinatione & aliis non propugnant, sed publicè pro suggestu notari & refutari ferunt, &c. *ad Cœnam cum Lutheranis admitti possint?* In hoc propriè cardo qvæstionis est, non *Reformatis in genere*, ut Tu posuisti, *sed talibus & talibus Reform. in specie?* Si huc argumenta tua, qvæ congeris, reducantur, omnia â januâ aberrare deprehendentur. Ut *t. 31.* patebit.

27. Ut hæc meliùs intelligantur, *Cum ingens qvæstionis momentum in eo situm sit*, seqventia tenenda. 1. Non in Elbingæ solùm statum, qvæ hic per *qv. 2* tractantur, vergunt, sed & *Thorunii*, qvod simili statu ab annis 90. jam usum, hodienùm in eo persistit, & qvietè degit, *Lutherismum* omninò recipit, & Reformatos suos tamen ad Communionem simul ab annis 80. admittit. Qvodcunqve *Calov.* hic causabitur, utrumqve statum attinget. Utramqve urbem fortè seditiosus scriptor convulsam velit, si ejus destinata procedant. Præmia ipsi ut omnium turbatori destinabunt, qvi ad turbandum natus esse videtur, *t. 30. 2. Aliud est, denovo admittere aliud*, jam ab annis 80 & ultrà admissum ferre, retinere, & per vim removere non posse, ac apertis motibus aut seditionibus rem gerere non velle, qvod nemo pius Christianus facere debet. *Hoc Posterius* agunt Ministri *Elbingenses & Thorunenses*, qvorum eadem in hoc est ratio, non prius. Et si *prius* etiam agerent, talibus *Reformatis*, qvales ante descripti, Nemo in tali loco fieri miraretur.

28. 3. *Nullus Reformatus Elbingæ dogmata Calvini, Bezæ*, de absoluto deceto unqvam defendit aut propugnavit, Nec in Prussiâ scriptor extitit, qvi id fecerit, Nec *Calov.* ullum nominare poterit, qvi egerit, ut in Germaniâ, Helvetiâ, Belgio, qvidem factum. Omnes abstrahere se à talibus profitentur. *Nec Synodus Dordracena* ab ullo publicè hic aut Thorunij est recepta, Nec Ecclesiæ Reformatæ *Polonicæ, Lithuanicæ, Prussicæ, Anhaldinæ*, ad eam vocatæ fuerunt, ut pro generali Synodo recipi apud omnes debeat. Cum aliqvando disputatio de eâ materiâ Senatui Elbingensi ex

qvadam Reform. Academiâ dicata fuit, pessimè id Senatum habuit, sibi talia prorsùs improbari indicavit, & factum noluit. Prout & ab aliis Reformatis dogma id non suscipitur, Ut *t. 7.* monui. *Nec dogma de nudo signo*, tesserâ, & Symbolo Corporis Christi in Cœnâ, Corpore ipso absente & in Cœlo manente, ab ullo defenditur, publicè pro suggestu reprobatur & refellitur, etiam *Calvino sociisq́;* interdùm nominatis, Nec dogma de inefficaciâ baptismi, nisi in solis electis, de particulari voluntate DEI in salvandis hominibus, & particulari passione Christi pro solis electis qvisqvam recipit aut tuetur, Nec DEUM Causam peccati qvisqvam dicit, Omnes se improbare, & contraria sentire dicunt, errrores tales publicè pro suggestu notantur & refelluntur, nominatis in specie *Calvino, Bezâ, Zanchio;* & similibus, ut ipse non semel à *M. Voidio, Holstio, & Philippo, b. m. & Dn Feyerabendio aliisq́;* audivi, Ego in *Epit. Theolog.* Elbingæ editâ publicè passim reprobavi, Nemo *Reformat.* dissensum testatus est, Omnes ferunt & accipiunt, Ut ipsorum ingens cum qvibusdam in Germaniâ diversitas sit, ut si aliis usus Cœnæ cum *Lutheranis* negetur, & his eum negari debere, inde statim conficere qvis non debeat.

29. *De ipso etiam Lutherismo* non malè sentiunt, facilè eum admittunt ac ferunt, si justè repræsentetur, ad eum induci possunt, Nostrâ Cœnâ se bona Conscientiâ uti posse, & Majores suos usos fuisse censent, Verbi ministris Lutheranis passim benefaciuut, omni favore proseqvuntur, liberos suos in Collegio publicè *in Catechismo Lutheri* informari jubent & cupiunt, eum explicari ac proponi volunt, multaqve alia ferunt & instituunt, qvæ Lutherismo servando fovendoqve facere possint, Moderationem tantùm & Circumspectionem reqvirunt, qvam & alios postulare scimus, *Noribergenses, Reutlingenses*, aliosqve, qvos Lutheranos agnoscimus. 4. *Qvi rigidiores* inter Reformatos Elbingæ sunt, alibi in viciniâ, aut cum Hollandicâ Ecclesiâ, ubi cœtum hic habuit, Cœnâ utuntur, non apud Nos, Et nostrum panem non satis verum

verum ac competentem, ſententiam de Cœnâ erroneam, Ceremonias non ſatis Chriſtianæ ſimplicitati conformes, ſed Papismi aliqvid ſubolentes cenſent. Qvi apud Nos utuntur, omnes aliter animati, meliùs de pane, ſententiâ, & ceremoniis noſtris cenſent, & Lutherismo propiùs accedunt. A Cœnâ repulſi fortè prorſùs ab eo averti, inqve odia ejus exardeſcere qveant, magno Eccleſiæ noſtræ cum incommodo, & Miniſtrorum Verbi damno, qvi beneficiis illorum excidant, à qvibus tamen neceſſaria petenda veniant. De orali manducatione Corporis Chriſti pauci hæreant. Solidè explicatâ, ne Phyſicæ aut Capernaiticæ comeſtiones mentem cointrent, *t. 25.* Nec ab eâ averſi erunt, ſed eam recipient. Ut de eorum ad Cœnam admiſſione minus ſcrupuli ſupereſſe debeat. Infirmum in fide non ad dijudicationes diſceptationum recipere jubet Apoſtolus, *Rom. 14. v. 1.* Hoc cum talibus agendum erit, Ut tu ipſe *t. 2.* diſtinguere cogeris, & ex Facultate Theologicâ oſtendis. *Et jam rigidiores Lutherani* proprium templum Elbingæ nacti ſunt, qvod Papiſtis à Suecis ademptum, illis attributum eſt, Ubi ſeparatim, ſuâ Cœnâ uti licet. Patiantur cœteros antiqvis legibus & moribus vivere, & pro more Cœnâ ſuâ cum aliis uti, ac antiqvâ poſſeſſione non deturbent.

30. Hoc *moderati* facilè ferent. *Tu* tuiqve ſimiles frendere & fremere pergent, ac ſupera inferis commiſta velint. Totius hujus ſtatus ignorans eſſe videris, & acerbis tamen ſcriptis laceſſere qvietem aliorum non vereris. Utinam & abſcindantur, qvi Vos conturbant, ait Paulus, *Gal. 5. v. 12.* Portabit judicium ſuum, qvicunqve eſt ille, *v. 10.* Id tibi dictum metue. Mendacibus aliorum relationibus nimium credis, ad eorum narrata ſtatim commoveri te ſinis, ad arma, calamos, chartas, proruis, ne exploratâ qvidem aut ſalutatâ alterâ parte, etſi olim intimè tibi familari, alienis, ad qvæ vocatus non es, te ingeris, & qvieta commovere non vereris. Naturâ factus, uſuqve exercitus ad pervertendum & turbandum omnia videris. Qvorſùm venis, turbare ſoles.

Regiomontum, *Gedanum*, *Witteberga*; id qveruntur. Gedanenſe Gymnaſium virulenter turbaſti. Jam & *Elbingenſium* qvietem ſubruere moliris. Horrent compoſta moveri. Turbare poteris, ſed non ita faciliter in qvietem redigere. Qveſtus olim validè de te *M. Voidius*, *b. m.* primus tibi Morungæ Præceptor, & qvi à ſtivâ paternâ ad literas te abduxit, & dirum à pueritiâ ingenium explicuit, qvamqve turbatè in Colloqvio Thorunenſi te geſſeris, publicè eum ſeniorem jam, & te multò grandæviorem, mendacii argueris, Cum ipſe falſiſſimus in totâ narratione extiteris, ut *D. Hulſemannus* te erroris ex publicis Actis convincere, & in ordinem redigere coactus fuerit. Ab eo, qvem Ipſe q. 1. t. 18. laudas, modeſtiam & prudentiam diſce. *Is pacificatores* in religione ſeriò ſanctèqve ſe Deo precibus commendare ait, paſſimqve eos laudat, ac Theologos Germanos, Svecos, Danos eſſe ait, *Calv. irrec. conc. p. 167, 169.* *Alibiq*, ut de Concil *t. 21.* allegavi. Tu diris & odiis, credo, eos proſeqveris, Conatus eorum virulenter pervertis, ſi poſſes, fortè dentibus laniares, ut furioſè olim *Hieronymus* in aliâ cauſâ, *Utc. l. t. 38.* dixi. *Ille* Polennicis parciùs ad plebem uti tyrones monet, & Calvinismi mentionem per totum annum abs ſe vix auditam ait, *c. l. p. 370. 371.* Marpurgi de *D. Fevurbornio & Hannekenio* concionantibus anno 26. & 27. Idem ego teſtari poſſum, qui tùm ibi vixi, *Reformatorum* mentionem ne ſemel ab illis factam, & ſi plures cœtui intereſſent, *Vultejus*, *Goedeus*, *Goclenius*, *Vietor*, *alii*. Plura *alibi* de hoc dicta, *d. prud. Theol. t. 23.* Tu contraria omnia cupias, perpetuò in *Syncretiſtas*, *Calviniſtas*, detonandum ducas, & qvid ipſe velis, præ furore ferè non percipias, Cum omnia confundas, *t. 17. 18.* Nec locorum ſtatus & conditiones attendas. Accuratione, moderatione, probatione, omnes diſſentientes revinces · Neminem perverſione, debacchatione, ſed à vero longiùs abduces. Alſtedius pacificantes inter hæreticos recenſet, qvos damnet, *p. 5. Comp. Theol. loc. 21.* Qvod mireris *de eo*, qvi ipſe Controverſias Evangelicorum ſubindè compo-

componere conatur, *p. 5. Th. Polem.* Et utroſqve in fundamento ſalutis convenire pugnat, *c.l. claſ. 1. q. 2.* *Deniq; 5. Qvæ in illum, qvem pungis, hic jactas, non in eum ſolum*, ſed & omnes Collegas ejus & anteceſſores recidunt, qvos univerſos contra Conſcientiam egiſſe & agere conſeqventer arguis, qvod Reformatis cum Luther. Cœnam unà porrexerint, qvod & ſtatui loci ab annis 90. uſitatum, & ſine magnâ ſtatus convulſione jam ab illis mutari non poteſt, & moderationi utriusqve partis totum adverſum erit. Qvod an prudentis ac moderati Theologi ſit, in dudum piè defunctos ita inſurgere, prudentibus judicandum relinqvo. Id ex vero tibi affirmem, ex eo tempore, qvo mihi Elbingæ verſatum, ab anno 1651. usqve 1657. *Nullum Concionatorem Reformatum* extitiſſe, omnes Lutheranos fuiſſe, & adhuc hodiè eſſe. Qvi ſtatus gnari, vera me dicere confitebuntur.

31. His diſtinctè præmonitis, *argumenta, qvæ t. 3. ſeq.* adducis, omnia aliena ſunt, & ad ſtatum noſtræ qvæſtionis nihil qvadrant, ac *Tract. d. Conciliando* pleraq; jam ſoluta. Ut *1. Non* ſocietas luci cum tenebris, nec Chriſto cum Belial, *2. Cor. 6.* E. talibus non porrigenda Cœna. Nihil conſeqventiæ hic, nec tales tenebræ, Belial, aut infideles dici poſſunt, ſed lux in Domino fieri poſſunt, ſi probè informentur, *t. 29.* Nec ullus dogmatiſtes errorum aut propugnator inter eos, Omnes privatìm tantùm ſua ſentiunt, & de noſtrâ ſententiâ benignè cenſent, *t. 28.* *Item* nõ ſanctum Canib. dandum, *Matth. 7.* Non enim hi Canes, ſed ex parte fideles ſunt, & ultrà fieri debent, cum illis junctìm vixerunt, *t. 26.* *Et* pro infirmioribus haberi qveant, *t. 29.* Locus *Matth. 7.* propriè de perſecutoribus Evangelii agit, qvi nos devorent, *v. 6.* Qvibus renitentibus non objiciendum Evangelium. Cœna tùm nondùm inſtituta fuit. At tales hi non ſunt, nec perſeqvuntur Nos, ſed ex longo uſu ad Cœnam noſtram admitti cupiunt. *2. Sacramenta* notæ, ſymbola, & teſſeræ Eccleſiæ ſunt. Nec hi à noſtrâ Eccleſiâ alieni, ſed unum Corpus cum eâ ex longo tempore faciunt, Nec

de

de noſtrâ doctrinâ ita malè ſentiunt, ut non admitti qveant, *t.26. ſeq.* 3. *Bonus paſtor pretioſum* à vili ſeparare debet, non cum alienis peccatis communicare. Hi ad pretioſum reduci debent, bonâ parte & inchoatione jam in eo ſunt & eſſe cupiunt, certè à fide Chriſtianâ non alieni ſunt, in qvâ Cœna inſtituta, cum de tot diſcriminibus religionum nihil adhuc innotuit, *t.* 24. Et in adminiſtrandâ eâ ad antiqvam fidem ejusqve puritatem recurri poteſt. Nec peccatis alienis hoc communicare, ſed ad primam fidem omnia revocare eſt, *t.20.* 4 *Indigni* & Corpus domini non diſcernentes non admittendi, *1.Cor.11.* Verùm hi inter dignos ſpe & voto numerandi, fidem habent, & ſi cum ſcrupulo qvodam, & pleniùs informandi ſunt, ut plenè digni evadant. Nec *Paulus de* admittendo, *ſed indignè comedendo* loqvitur, & ab eo dehortatur, qvod in uſurpante eſt, non Paſtore, nec Paſtorem, ſed utentes *d.l.* informat, Nec ſententiis diſſidentes, ſed moribus Cœnam profanantes & profanè uſurpantes increpat, *v.20,21.ſeq.* Et ſic Chriſtus non Judam ad Cœnam admiſiſſet, qvia Diabolus, fur, & proditor, *Joh.6.12.& 13.* Et probè Chriſto notus erat, qvod contrà tamen omnes *Lutherani* propugnant. 5. *Profanatio Sacramenti* devitanda. At hos ad fideles ac Orthodoxos advocare intendimus, de qvibus profanare Cœnam non præſumere debemus, Nec illi noſtram ſententiam de Cœnâ præfractè negant & oppugnant, Ut Doctores faciunt, ſed ſimpliciorum & infirmorũ loco haberi volunt, *t.28.29.*

32. 6. *Grave periculum* de admiſſis in errore ſuo confirmatis, & admittentibus, à qvibus ſangvis pereuntium poſtulandus, & infirmis, qvi validè ſcandaliſantur, metuendum. *Atqvi hi* non ita in errore pertinaces, ut non & noſtram ſententiam admittant, ſi dextrè explicetur, recteqve informati ad eam induci poſſint, aut utramqve ferri poſſe cenſeant, Nec præſentiam Chriſti in Cœna negent, ſed ſpiritualem eſſe aiant, *t.28.29.* Nec pereundi metus conſeqventer de talibus præſumendus, Nec ſcandalum de talibus, qvales *t.26,29.* deſcripti, oriri poteſt, Non n. à verâ ſententiâ totaliter

totaliter diſcrepant, ut rigidiores, qvi alibi Cœnam quærunt, *t.* 29. Sic nec Auguſtinus ad Cœnam admittendus fuiſſet, fermè enim *Reformatorum* hypotheſibus in qvibusdam acceſſit, Ut *Calixtus & alii* oſtenderunt. Nec *Apoſtoli* in primâ Cœnâ admittendi, Omnes enim terreno Meſſiæ regno occupati erant, *Act.* 1 & hoc Chriſto probè notum erat, qvi error totum officium Chriſti pervertit. In ſimplicitate tamen Chriſtianâ admiſſi, & poſtea eandem Cœnam ſic acceperunt, *Act.* 2. *v.* 47. Qvem locum de Cœnâ *Oecumenius*, *Cor. à Lapide*, *Mutheſius*. aliiqve explicant. Cœtera, qvæ de Magiſtratu adduntur, univerſa per accidens ſunt. 7. *Ingens* hypocriſeos ſpecimen hinc manat. Non enim hi nudum panem ſe accipere ajunt, ſed unà Corpus & ſangvinem Chriſti, ſed ſpiritualiter, & ore qvantum ad panem & medium, ubi aliqvid veri ſubeſt: *Nec nos Phyſicè & carnaliter*, ſed myſticè & ſupernaturaliter cum pane & vino Cœtera accipi confitemur, ad qvam ſententiam reliqvos reduci ſedulâ informatione par eſt: Nec à noſtrâ doctrinâ tales planè abhorrent, ſecùs non in Scholâ liberis Lutheri Catecheſin proponi mandarent aut ferrent, *t.* 29. Unde qvæ *t.* 8. promis, ad hos non qvadrant. Primores autem *Joh.* 12. Qvos adducis, verè ac ſalutariter credidiſſe *Mentzerus*, *Aſſelmannus*, *Feurbornius*, *Meiſnerus*, & ex *Vetuſtioribus Auguſtinus tr.* 53. *in* Joh. aliiqve ſentiunt, ut de *Concil. t.* 35 jam notatum, Cum qvibus tranſiges. 8. *Deniq; unanimis* conſenſus Doct. Lutheranorum ita decidit. At is authoritatem humanam tantùm habet, contrariâ authoritate retundi poteſt: Et illis nunqvam tales Reformati deſcripti, qvales in hac re ſunt, *t.* 26. *ſeq.* Qvæ *t.* 9. addis, qvòd ſe ceremoniis noſtris accommodent, inſufficiens hic. Non id ſolùm, ſed totam *Auguſtan. Confeſſionem ejusq; Apologiam* recipiunt, ab ipſo dogmate noſtro non planè averſi ſunt, in eo liberos ſuos informari ferunt, ad noſtrum ſenſum induci poſſunt, à

qvo nimio rigore averti qveant, Nullus contrarius doctor aut propagator in omnibus illis reperitur, *t. 26. seq.* Qvod longè plus est, statum longè alium hic format, & in cœteris meritò considerandum est, ac ex illis ad omnia, qvæ *t. 9.* adducis, facile responderi potest, Ut meritò à rigidioribus vocibus, *Syncretistas, Samaritanos, lupos esse,* qvi tanti unam religionem, qvanti alterum faciant, abstinere debuisses, nec in defunctos, qvos simul implicas, *t. 30.* tanta convitia proijcere. Qvæ è *Reformatis* adducis, omnia contrariis authoritatibus refelli possunt. Veteres Christiani *Cœnâ* utentes ædes occluserunt, Ne scilicet gentiles, ut Canes & porci, *t. 31.* sacra eorum inspicerent, ac irridendi, opprobrandi, & blasphemandi, aut perseqvendi Christianos occasionem inde raperent. Qvomodo *asinarios* eos vocârunt, & *Averroes* Christianorum sectam stultissimam dixit, ut qvæ proprium DEUM devoraret. Ut *Orthodox. Consens. c. 5.* refert. Et aliàs horribiliter eos persecuti sunt, ut ex *Tertulliani ap. C. 3, 6. 36. Justini & aliorum* apologiis sumi potest.

Respon. ad. qv. 4.

33. *Hæc de Pastore oralem manducationem exagitante, Reformatos laudante, veram Ecclesiam in Anglio, Belgio, Galliâ, qværente, privatìm more Calvinistar. Cænam administrante,* & necessitatis casu vel apud Papistas Cœnâ uti volente agit. Hic cum qvibus Chimæris tu lucteris, non satis percipio. Non de his me audivisse memini. Pleraqve conficta esse suspicor, aut aliis modis se habere, qvàm qvibus narrantur. E meis scriptis horum nihil te ostendere posse certus sum. De Reformatis aut Orthodoxis, aut non hæreticis habendis è t. 18. *28. seq.* constare potest. De nominibus discretivis è *t. 24.* De litibus & contentionibus non necessariis *t. 13. 24.* patet. Semper in Ecclesiâ Christi potiùs de minuendis, qvàm augendis & extendendis Controversiis cogitandum, qvantum ullo modo per veritatem licet, qvod mo-

nita

nita de pace ſectandâ volunt, ut d. *Concil.* dictum, Et Apoſtoli præſcripta *1. Tim.* I. *v. 4. C. 6. v. 4. ſeq. Tit. 3. v. 2.* reqvirunt. *De ſolo Catechismo* retinendo ſimplicibus ac rudioribus ſatisfaciat, non doctoribus & ſeductoribus, quæ ſemper diſtngvenda, *t. 18.* 39. Et tu qvod ſub hoc modo fortè dictum, velut abſolutè prolatum turbatè accipias. De ſchismate ex *t. 24. 25.* patet. De *Reformatis* plerisqve ſecutis falſum, ſi tales intelligas, qvales *t. 26. ſeq.* deſcripti. Hos enim & Lutherani admittendos concedant, ſi de ſtatu rei plenè informentur, *t. 32.* Et Reformati id affirmantes, *apud moderatiores Lutheranos à* ſuis Cænam accipi poſſe ajunt, non rigidiores, aliasqve cautelas adijciunt, ut *Crotius p. 2. Anti Weig. C. 8. q. 7. aliiq́.* *Anno* 1631. *etiam in ſynodo nationali Galliæ* decretum de Lutheranis factum fuit, ceu membris ejusdem Corporis myſtici ad communionem Reform. admittendis, & erroribus eorum fraternè tolerandis, ut *Mareſius d. 17. Coll. Th. t.* 14. *notat.* *De particulis in, cum, ſub*, ſano ſenſu adhibitis reprobandis, nihil mihi conſtat. De orali manducatione, ſi ſanè explicetur, admittendâ ſupra *t. 25. 29.* actum. Qvi contrà tibi retulit, nimium fortè retulit, & tu nimis facilè credidiſti: Aut qvod ſub certo modo dictum factumve, velut abſolutè dictum accepiſti. *De panifragio* in Cœnâ adhibito non mihi conſtat. Certum, ad exemplum Chriſti in Cænâ illud adhiberi poſſe. In analogiam Corporis Chriſti doloribus fracti tàm & lacerati, ad ſævum modum, qvo qvibus oſſa franguntur, eſſe ſolet, adhiberi debere in Scripturâ nullum indicium ſat ſolidum eſt, ut *de Eſu Eucharist.* dicturus ſum. Semel Corpus Chriſti pro nobis fractum eſſe Paulus dicit 1. Cor. II. v. 24. Ad eam fractionem repræſentandam panem in Cœnâ frangendum eſſe, nulla Scriptura dicit, Eoqve panem frangendo illam approbare non neceſſum eſt, & multò minus Cœnæ formam in eâ ſtatuere, qvod tu *t. 1. aliiq́* inde eductum velint. De *Reformatis ſcriptoribus* laudatis, inter *practi-*

cos, qvales tui nominati, *Sonton*, *Dyck*, *Taffin*, *Hotton*, *Bayle*, & *Polemicos distingves*, de qvibus non mentio. Virtutem etiam in hoste laudari par est. *Papistæ Lutherum* laudant, Ut *Erasmus* & *Masius*, *V. Gerhardum d. Eccles. t. 295.* Et *Calvinum Stapletonus ap.* Alsted. *in suppl. Chamier. l. 2. C. 16. t. 3.* *Et Flor. Raymundus l. 7. d. hær. C. 30.* *Alii sæpè hostes laudârunt. V. Bellar. l. 4. d. Eccl. C. 16.* *Nos Baronium*, *Bellarminum*, *Tuscum*, *Beyerlingium*, ob inexhaustos labores laudamus, &si judicium & candorem qvandoqve desideremus. *Tu* omnia credo, reprobabis, qvia Papistæ. Laudavit *Ausonius Symmachum*, *Basilius Libanium Ethnicos*, *Augustinus Tychonium Donatistam*, citra præjudicium veritatis. *Ipsi Lutherani* tales libros apud se ediderunt, Ut *Sternii Luneburgæ* Bailii *praxin pietatis.* Tanti eos fecerunt. De *Moguntinis* contra Calixtum censentibus, *t. 21.* visum De *Ecclesiâ in Galliâ aut* Belgio *qværendâ longe secùs est. Ecclesiam Topicam & particularem* & *ibi DEUM habere* dictum est, & qvæ suas tribulationes etiam experiatur, Ut & Gedani, Augustæ, Elbingæ, qvod in se verissimum, & à tuo sensu prorsùs alienum est.

34. Qvòd impietatem mihi & scriptis obijcis, *t. 2. & 4.* nunqvam solidè probabis. Ad antiqvam fidem recurrere, & solida ad conciliandum salvâ veritate, non concussâ, media inqvirere, *t. 20.* in rixosissimo hoc seculo pietatis argumentum, non impietatis est. Nec in vitâ, nec ullo dogmate meo impietatem deprehendes. Tu contra primum Præceptorem tuum verè impius extitisti, *t. 30.* Erga Collegas passim, cum qvibus jurgaris, qvorsùm venis. *Nullius sectarij proprium dogma* unqvam tenui aut defendi, nec tu solidè unqvam ostendes. *Syncretismum*, ut tu vocas, longè Calvinismo deteriorem, frustrà hic exspectas. Nec vocem, nec rem volo, *t. 10. 15.* Ad primam fidem te reduco, *t. 20.* Ut omne mutandum ad principia sua revocari solet, ac in omni mutatione fieri amat, Ut p. 4. *Jren. def. t. 5.* dixi. *Omne genus*

ad

ad originem suam censeri necesse est. Tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qvâ omnes. *Tertull. d. præsc. C.* 20. Ab initio non erat sic. *t.* 24. Qvod in Ecclesiâ primum, id verissimum. *De ad synaxin Papisticam accedendo* nunqvam mihi qvidqvam auditum. Ipsam substantialem alteram partem Laicis è cœnâ tollunt, & sic Cœnam ipsam evertunt. Fortassè & hic ampliore tibi relatione impositum Si qvid tamen factum, nescio, qvâ conditione fortè prolatum, qvam non addiderunt, qvi talia retulerunt. De tepidis evomendis ex *Apoc.* 3. *v.* 16. *in Tra. d. Concil. t.* 35. jam responsum. Non sunt tepidi in ipsâ fide, qvi justis medijs ad Conciliandum procedunt, &si nec omnes contentiones probent, nec ad fundamentalem fidei substantiam semper pertinere censeant. Veritatem ipsam tenent, probant, tuentur. Qvomodo & alij ad eandem agnoscendam deducendi, aut ab extremis ad moderatiora flectendi sint, inqvirunt & laborant, *t.* 20. In eo nulla tepiditas. Qvod *t.* 4. monstrum sectariorum prodigiosum me proclamas, atrocissimam injuriam mihi facis, qvi nunqvam ullius sectarij dogma probavi, ut *ante* dixi, & animi virulentiam prodis. Rectiùs te monstrum furiosum ex calumnijs, perversionibus, & virulentiis compositum vocarem, *t. 9. seq.* Si par pari reddere vellem. Sed non decent doctos tàm rustica convitia. *Profectò in Theologo turpissimus est morbus lingvæ petulantia*, de Tantalo *Euripidi* simile dictum hic cogitandum est. Unicum sectarium dogma prome, unamqve impietatem in doctrinâ, qvâ probes. Qvod non poteris, ut ante dictum. *Credo, si Apostoli reviviscerent, & simplicem illam piscatoriam fidem profiterentur*, monstra sectariorum eos faceres, latibula omnium hæresium seminare blasphemares. De *Photinistis* ab hæresi liberandis merum commentum est, *t.* 20. Qvod præclarum *Lutheranum* Jronicè me dicis, scire possis, me meliùs *Lutherismum* contra varios in variis scriptis defendisse, qvâm te. Antiqvam tamen fidem

Christianam præcolo, Ut *p. 3. & 4. Jren. def.* dixi. Faciet fortè per tot calumnias ac perversiones, ut absistam, solamqve antiqvam fidem Christianam, qvatenùs ex Scripturâ & primis Patribus nota est, de cœtero defendam. *Qvòd communione Illi,* qvem pungis, mecum interdicis, vanum est. Principia mea solida esse, intentum Christianum, media ad componendum legitima esse videt. Cur non cum eo communicet? Nec tu adhuc ea evertisti, & calumniis ac perversionibus vanè subruere moliris. Impietatis nullius me aut illum convinces. Si qvid habeas, qvo solidè probes, prome, & responsum à Nobis exspecta. Nudis tuis dicteriis à sancto & Christiano proposito nos dimoveri non patiemur.

35. *Papistas, Mennistas, Photinistas, Arianos, ut* in erroribus sunt & manent, non mutant aut moderant, sub vero Catholicismo comprehensos Nemo Nostrûm voluit, ut tu *t. 5.* dicis. Mera hæc tua commenta sunt, *t. 19. 20.* Nec atheismum, nec nullam, aut amplissimam religionem intendimus, sed veterem illam fidem in priscâ puritate reductam volumus, eoq; laboramus, *t. 13. 14. 20. 25.* In quo confusionem sectarum inducere non possumus. *Hieronymi* de scintillâ dictum rectiùs in te, quàm Nos vibretur. Tu eam conatibus Pacificantium inycis, quâ ingens ignis exciri queat, quo de novo magna domus Ecclesiæ pars conflagret. *Nos* sedare, extinguere, componere, intendimus. *Tu* turbare, dissensus fovere & extendere, omniaq; incendere moliris, *t. 30.* Illius *Meyfartiani* pro colophone te commoneam, *qui omnes eos, qui Concordiam Lutheranorum cum Reformatis impediverunt, in se aut successoribus suis horribiliter à* DEO punitos esse asserit *L. 1. d. ref. Academ. C. 12.* De qvo ne partem trahas, caue. *Si* liberiùs mendacia me dicere censeas, insolentiam factorum etiam moderatioribus talia quandoq; extorquere cogitandum, ut *Socino ep. 4. ad Dudith. Apologia Aug. Conf. c. 9.* Anabaptistas factionem latronum vocat. Sæpius Authores ad Nebulones delabuntur. Id apud *Vedelium l. 1. d. prud. Vet. C. 2. L. 2. C. 2. 4. 5. 6. L. 3. C. 3. 5. Et alibi, Athanasium Orat. 2. in Arian. Chamierum passim, L. d. pot. sec.* Lutherum *Erasmum in epistolis, aliosq;* videas Si rixosior videar, *Luthero* patrono defendar. Rixosum esse utile & necessarium est, ut duras cervices retundamus, daß man straffe die harten köpfe/ *T. 2. Jen. f. 88. b. Deniq;* si contra me

tra me agere velis, ut mea adferas, Non aliena à meis ingeras, monendus eris. Ne falsum testimonium contra proximum loquaris. Secùs illud *Augustini contra Julian. l. 4. C. 8.* regeram, Minus hoc dicerem, quod me dixisse mentiris. Redde verba mea, & evanescet calumnia tua. Nam tu abstulisti verba, quæ dixi, & dixisti, quod ipse finxisti. DEUS veritatis & pacis ad utramq; nos deducat, Ut in eo omnes unum sentire per Christum incipiamus. *Conf. t. 24.*

Adiectanea.

1. In *t. 2.* Methodus Logica Calov. allegata. Ad eam Compend. Geographicum *p. 516. in Op. Phil. addi potest, ubi simile tradit.*

2. Qvæ *t. 4. de Symbolo Niceno* dicta, de eo capienda, ut hodie in expresis exemplaribus passim circumfertur. Sic in omnibus additio illa de Sp. S. & cœteris articulis apertè adiicitur. Ut ab ipsis Nicenis Patribus olim proditum est, sic articulus, & in Spir. S. additus dicitur, & cœteri de Ecclesiâ, resurrectione, omissi censentur. Sed tamen etiam *art. d. resurr. Carnis* tàm in Nicæno, qvàm Apostolico & reliqvis semper adiectum fuisse *Gerhardus d. ref. mort. t. 71.* apertè affirmat. Cumqve sine ullâ distinctione aut determinatione loqvatur de Niceno Sym. *Cal.* Meritò tot in publico edita Nicæni exemplaria obiiciuntur, qvibus articuli isti expressè continentur.

3 Ad t. 3. adde. Rectiùs *Macovius* modum proponendi Theologiam rudiorem & exqvisitiorem dicit *L. C. p. 3. d. 3.* Non ipsam Theol. ita dividit.

4. Rectè *Amb. ad Theodos. Imp.* Nihil tàm in Imperatore amabile, qvàm si libertatem dicendæ sententiæ concedat, & hoc inter bonos ac malos Principes discrimen esse, qvòd boni libertatem ament, improbi servitutem, ap. *Melanchton. ep. p. 324.* Rectè etiam *Lactantius* Naturam hominis hanc DEUM voluisse dicit, ut duarum rerum cupidus esset, religionis & sapientiæ, *L. 3. Instit. C. 11.* Unde utraqve sedulò homini inqvirenda relinqvitur. Sed primò omnium primæ & antiqvissimæ religionis

cura

cura habenda, qvæ verissima. Antiqvissimum n. & primævum verissimum est, *V. t, 24.34.*

5. *P. 130. Meth. Log. Calovius* Mathematicam generalem in abstractione à numero & magnitudine generaliter repræsentari, à Nemine adhuc factum fuisse dicit, sed minatum id esse *Golium* Prof. Leidensem. Et idem in *secundâ editione* Op. Ph. sine ullâ correctione repetit *p. 649.* Sed jam olim id egit & monuit *Pererius d. comm. affect. C. 17. Adri. Romanus in dim. Circ. C. 6. Alstedius in Mathem. gen. Notnagelius tr. 1. p. 1. Inst. Mathem.* Et ipse *Cal.* in eodem scripto *p. 98. 99.* Mathesin in universalem & particular. divisit, & Communem de qvantitate, ejus principiis & affectionibus in communi agere dixit. Sic ipse facto jam agendum ostendit, qvod à nullo adhuc factum asseruit.

6. Ad *t. 11.* addere qveas, Omne verum, à qvocunqve dicatur, à Spir. S. est, ait *Ambrosius ap. Königstein ep. 30. Trin.*

7. Ad t. 21. p. 21. adde. Miror, qvòd *Cal.* ad Jesuitas etiam contra Lutheranos provocet. Novit, qvomodo in Anticyris *Prædicanticis & Aristarcho Jesuitæ Brunsbergici eum* tractaverint. Sed nec eorum meminisse potest, qvæ ipsum tetigerunt.

8. Quæ cœtera in scriptis *Cal: Philos. & Theologicis* justam censuram merentur, alijs temporibus & occasionibus expedientur. *Nulla* ferè definitio adæquata est. *Methodus* Logica confusa moles est. *Mathematica* sceleton magis, quàm Corpus est. In *p. 1. Inst. Th.* DEO & hominibus illusum est. *Habitum compositum*, quem mirè abominatur, necessariò dari solidè *in prac. Theol.* ostendam. Alibi de universis plura.

Erratis veniam, Lector amice, dabis.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

H NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.